

PSALMUS IX.

V. v.—1. *In finem pro occultis filii, Psalmus David.*

2. Confitebor tibi Domine, in tote corde meo: narrabo omnia mirabilia tua.

3. Laetabor et exultabo in te: psallam nomini tuo, Altissime,

4. In convertendo inimicum meum retrorsum: infirmabuntur, et peribunt a facie tua.

5. Quoniam fecisti iudicium meum et causam meam: sedisti super thronum qui iudicas iustitiam.

6. Increpasti gentes, et perit impius: nomen eorum delesti in aeternum, et in saeculum saeculi.

7. Inimici defecerunt framae in finem: et civitates eorum destruxisti.

Periit memoria eorum cum sonitu: 8. Et Dominus in aeternum permanet.

Paravit in iudicio thronum suum: 9. Et ipse iudicabit orbem terrae in aequitate, iudicabit populos in iustitia.

10. Et factus est Dominus refugium pauperi: adiutor in opportunitatibus, in tribulatione.

11. Et sperent in te qui noverunt nomen tuum: quoniam non dereliquisti quaerentes te, Domine.

12. Psallite Domino qui habitat in Sion: annuntiate inter gentes studia ejus.

13. Quoniam requirens sanguinem eorum recordatus est: non est oblitus clamorem pauperum.

14. Miserere mei, Domine, vide humilitatem meam de inimicis meis.

15. Qui exaltas me de portis mortis, ut annuntiare omnes laudationes tuas in portis filiae Sion.

16. Exultabo in salutari tuo: infixe sunt gentes in interitu quem fecerunt.

In laqueo isto, quem absconderunt, comprehensus est pes eorum.

17. Cognoscetur Dominus iudicia faciens: in operibus manuum suarum comprehensus est peccator.

18. Convertantur peccatores in infernum, omnes gentes quae obliviscuntur Deum.

19. Quoniam non in finem oblivio erit pau-

V. s. n.—*Victori super morte filii, Canticum David.*

Confitebor Domino in toto corde meo: narrabo omnia mirabilia tua.

Laetabor et gaudebo in te: canam nomini tuo, Altissime,

Cum ceciderint inimici mei retrorsum, et corruerint, et perierint a facie tua.

Fecisti enim iudicium meum et causam meam: sedisti super solium iudex iustitiae.

Increpasti gentes, perit impius: nomen eorum delesti in sempiternum et jugiter.

Inimici completae sunt solitudines in finem: et civitates subvertisti. Periit memoria eorum cum ipsis.

Dominus autem in sempiternum sedebit: stabilivit ad iudicandum solium suum.

Et ipse iudicabit orbem in iustitia, iudicabit populos in aequitatibus.

Et erit Dominus elevatio oppresso: elevatio opportuna in angustia.

Et confident in te, qui noverunt nomen tuum, quoniam non dereliquisti quaerentes te, Domine.

Cantate Domino habitatori Sion, annuntiate in populis cogitationes ejus.

Quoniam quaerens sanguinem eorum recordatus est: non est oblitus clamoris pauperum.

Miserere mei, Domine, vide afflictionem meam ex inimicis meis, qui exaltas me de portis mortis;

Et narrem laudes tuas in portis filiae Sion: exultabo in salutari tuo.

Demerse sunt gentes in interitu quem fecerunt. In reti quod absconderunt, captus est pes eorum.

Agnitus est Dominus iudicium faciens: in opere manuum suarum corruit impius. Meditatione. Semper.

Convertantur impii in infernum, omnes gentes quae obliviscuntur Deum.

Quoniam non in aeternum oblivioni erit pau-

peris, patientia pauperum non peribit in finem.

20. Exsurge, Domine, non confortetur homo: iudicentur gentes in conspectu tuo.

21. Constitue, Domine, legislatorem super eos, ut sciant gentes quoniam homines sunt.

per: expectatio pauperum non peribit in perpetuum.

Surge, Domine, non confortetur homo; iudicentur gentes ante faciem tuam.

Pone, Domine, terrorem eis: sciant gentes, homines esse se. Semper.

PSALMUS X

SECUNDUM HEBRAEOS.

V. v.—1. Ut quid, Domine, recessisti longe, despicias in opportunitatibus, in tribulatione?

2. Dum superbit impius, incenditur pauper: comprehenduntur in consiliis quibus cogitant.

3. Quoniam laudavit impius desiderium mae suae: et iniquus benedicitur.

Exacerbavit Dominum peccator, secundum titudinem irae suae non quaeret.

5. Non est Deus in conspectu ejus: inquinatae sunt viae illius in omni tempore.

Auferuntur iudicia tua a facie ejus: omnium inimicorum suorum dominabitur.

6. Dixit enim in corde suo: Non movebor a generatione in generationem, sine malo.

7. Cujus maledictione os plenum est, et amaritudine, et dolo: sub lingua ejus labor et dolor.

8. Sedet in insidiis cum divitibus in occultis, ut interficiat innocentem.

9. Oculi ejus in pauperem respiciunt; insidiatur in abscondito, quasi leo in spelunca sua.

Insidiatur ut rapiat pauperem, rapere pauperem, dum attrahit eum.

10. In laqueo suo humiliabit eum, inclinabit se, et cadet, cum dominatus fuerit pauperem.

11. Dixit enim in corde suo: Oblitus est Deus, avertit faciem suam ne videat in finem.

12. Exsurge, Domine Deus, exaltetur manus tua: ne obliviscaris pauperem.

13. Propter quid irritavit impius Deum? dicit enim in corde suo: Non requirit.

14. Vides, quoniam tu laborem et dolorem consideras: ut tradas eos in manus tuas.

Tibi derelictus est pauper: orphanus tu eris adiutor.

15. Contere brachium peccatoris et maligni; quaeretur peccatum illius, et non invenietur.

V. s. n.—Quare, Domine, stas a longe, despicias in temporibus angustiae?

In superbia impii ardet pauper: capiuntur in sceleribus quae cogitaverunt.

Quia laudavit impius desiderium animae suae; et avarus applaudens sibi blasphemavit Dominum.

Impius secundum altitudinem furoris sui non requirit: nec Deus in omnibus cogitationibus ejus.

Parturiunt viae ejus in omni tempore: longe sunt iudicia tua a facie ejus: omnes inimicos suos despiciat.

Loquitur in corde suo: Non movebor: in generatione et generatione ero sine malo.

Maledictione os ejus plenum est, et doli et avaritia: sub lingua ejus dolor et iniquitas.

Sedet insidians juxta vestibula in absconditis, ut interficiat innocentem: oculi ejus robustos circumspiciunt.

Insidiatur in abscondito, quasi leo in cubili, insidiatur ut rapiat pauperem: rapiet pauperem, cum attraxerit eum ad rete suum.

Et contractum subjiciet, et irruet viribus suis valenter.

Dixit in corde suo: Oblitus est Deus, abscondit faciem suam, non respiciet in perpetuum.

Surge, Domine Deus, leva manum tuam: noli oblivisci pauperem.

Quare blasphemavit impius Deum, dicens in corde suo quod non requirat?

Vides, quia tu laborem et furorem respicis, ut detur in manu tua. Tibi relinquuntur fortes tui: pupillo tu es factus adiutor.

Contere brachium impii et maligni: quaeres impietatem ejus, et non invenies.

16. Dominus regnabit in æternum, et in sæculum sæculi: peribitis gentes de terra illius.

17. Desiderium pauperum exaudivit Dominus: præparationem cordis eorum audivit auris tua.

18. Judicare pupillo et humili: ut non apponatur ultra magnificare se homo super terram.

Dominus rex sæculi et æternitatis: perierit gentes de terra illius.

Desiderium pauperum audisti, Domine; præparasti ut cor eorum audiat auris tua.

Ut iudices pupillum et oppressum, et nequam ultra superbiat homo de terra.

Argumentum. — Hunc Psalmum Græci Alexandrini, et, qui eum semper sequitur, Latini interpretes, cum eo, qui proxime sequitur, unum faciunt. Quod probat Ewaldus, ea præsertim ratione, quod series litterarum in Psalmo ix, quamvis imperfecte, observata, continetur in Psalmo sequenti, qui caret titulo, cujusque primum comma incipit per litteram 7; deinde post commata 2-11, alia manu hic intercalata, ordo versuum alphabeticus iterum a vers. 12 ad calcem recurrit. Insuper, ait Ewaldus, utriusque Psalmi idem est argumentum, scilicet. alternantur in utroque gratiarum actiones et preces. E contra sentiunt Rosenmuller et Hengstenberg, duos esse Psalmos, ab eodem auctore temporeque eodem editos. Quod si sumas, qua occasione Psalmus ix sit compositus, mitto querere, estque præterea carminis argumentum, ignorato etiam hostis devicti nomine, satis in se perspicuum. Id tantum certo tenendam videtur, tunc temporis Sionium tabernaculum destructum fuisse. Strophæ 5: vers. 2-7, laudat Jovam, quod hostes deleverit eorumque vastationibus finem fecerit; vers. 8-13, is qui populos recte iudicat, in angustiis eximium adiutorem se exhibeat; vers. 14-15, sed adhuc in maximo periculo hære se dicit, ex quoque ut liberetur orat; vers. 16-17, iterum exultat de hostium ruina; vers. 18-21, sic fiat omnibus Jovæ repugnantibus!

1. Præcentori, *canendum* ad modum *instrumenti* Muth-labben, carmen Davidis.
2. Celebrabo Jovam toto corde meo, enarrabo omnia mirabilia tua.
3. Lætabor et exsultabo in te; canam nomen tuum, Allissime,
4. Convertentibus se hostibus meis retrorsum, labentibus et preeruntibus præ facie tua.
5. Egisti enim iudicium meum meamque causam; sedisti in solio iudex justus.
6. Incepisti gentes, perdidisti improbum; nomen eorum delevisi in æternum.
7. Hostes omnino facti sunt ruina in perpetuum, et urbes quas evertisti: eorum, eorum perit memoria.
8. At Jova in perpetuum sedebit, constituit ad iudicium thronum suum.
9. Et ipse iudicat orbem in justitia, jus dicit nationibus in æquitate.
10. Estque Jova contrito asyllum, asyllum angustiarum temporibus.
11. Et confidunt in te, qui norant nomen tuum, quia non deseris quærentes te, Jova.
12. Canite Jovæ habitanti Sionem, prædicate inter populos facinora ejus.
13. Quia is, cædium ultor, eorum memor fuit, non oblitus est clamorem afflictorum.
14. Miserere mei, Jova, vide afflictionem meam ab osoc, tu qui elevas me a portis mortis:

15. Ut enarrem omnem laudem tuam, in portis filie Sionis exultem in salute tua.

16. Demersæ sunt gentes in foveam, quam fecerunt; reti, quod absconderunt, captus est pes eorum.

17. Notum se fecit Jova, iudicium egit, opere manuum suarum illaqueatus est improbus. — Meditatio. Pausa.

18. Vertentur improbi ad orcum, omnes gentes oblita Dei.

19. Neque enim in perpetuum oblivioni tradetur pauper, nec spes afflictorum peribit in æternum.

20. Surge, Jova! non invalescat homo; iudicentur nationes coram facie tua.

21. Para, Jova, terrorem eis; sciant gentes se esse homines.

NOTE.

Vers. 1. *Muth-Labben*: ita Maurer. Alii, in morte filii: *Mors filii*, aiunt, sunt vocabula quæ reperiuntur in quodam cantico, ad cuius numerum Psalmum ix decantabant. Confer canticum II Sam. 1, 18, cui titulus *Arcus*. Hengstenberg vertit, de morte stulti (כחל) transpositis litteris pro כחל, et confert I Sam. xv, ut hoc titulo tum huius tum sequentis Psalmi argumentum denotetur. Quam tamen interpretationem rejicit Reinke. — Vers. 2. *Mirabilia*, divina beneficia in se populumque Israeliticum collata. *Celebrabo*, vel celebrat: ita de cæteris verbis. — Vers. 3. *In te adiutore et protectore.* — Vers. 4. *Facie tua*, indignatione vultus tui. — Vers. 7. *Hostes* (proprie hostis collective) omnino, etc.; ita Ewaldus. Alii hostis absolute positum putant, pro genitivo. Maurer, o hostis, finem jam habent ruina in perpetuum, i. e. jam satis est ruinarum, satis urbium a te dirutarum. Eorum, his, emphatice. Maurer et *hemmah* vertit perit, a verbo *hamah*. — Vers. 10. *Estque*; alii, et sit. *Asyllum*, propr. locus editus. — Vers. 13. *Eorum occisorum*; alii eorum ad afflictorum trahunt, in membro sequenti, quod Hengstenberg rejicit. — Vers. 14. *Tu qui elevas*; Maurer, ita ut me elevas. Inseritur hic et vers. seq. *clamor afflictorum*, de quo vers. 13. — *In portis*, ubi forum erat Judæorum, ideoque frequens populi conventus propter iudicia, quæ ibi fiebant. Hengstenberg, contra plerosque, vult in portis hic sumi generaliter pro intra urbem. — Vers. 16. Quod versu præced. præstaverat, id jam factum esse videt. Alii subaudiunt: Et dicam. — Vers. 17. *Notum se fecit Jova*, dum scilicet iudicium egit. *Noqesh*, præter. niph. verbi *taqash*; Maurer vertit, illaqueans improbum, particip. cal verbi *taqash*. *Meditatio*; Maurer, fidium cantus: Præcentor, ait, cantum paululum intermittere solisque fidibus canere iubetur. — Vers. 18. Quod vers. 16 tanquam jam factum viderat, id nunc confidenter sperat, imo describit. — Vers. 20. *Invalescat, prævaleat. Homo*, proprie mortalitatis, isque insolens. — Vers. 21. פתח em ac כחל. Septuaginta et Syrus legentes *moreh*, vertunt *doctorem*, vel *legislatorem*, qui virga disciplinam eos erudit et castiget. Non male.

Si quis titulum fidem minus penderet, hunc Psalmum non male existimaret ab Hiskia rege scriptum, scribendi autem occasionem præbuisse ea, quæ narrata legimus II Reg. xviii, 13 seqq. Cf. Isai. xxxvi, 4 — xxxviii, 3; II Chron. xxxii, 1-24.

PSALMUS X

SECUNDUM HEBRÆOS.

Argumentum. — Vide argumentum Psalmo ix præmissum. Strophæ 2. Queritur Vates de vexationibus hostium insolentium, insidiosorum, Dei contemptorum, vers. 1-11; orat Jovam, ut afflictos sui cultores defendat, hostes in perniciem agat: quod illum facturum esse sperat, vers. 12-18. Cæterum hocce carmen non parum habet difficultatis, quæ partim ex ambiguitate verborum, partim ex concisis, et non usquequaque coherentibus sententiis nascitur. Interrupta vero illa et minime continuata loquendi ratio proficisci potuit, non solum ex agitatione ingenii humani, quod ubi extraordinario aliquo angore conflictatur, singulis potius, quam loquitur; verum etiam ex nationum Orientalium methodo, quæ paulo fuerant, quam Græci et Romani, in hoc genere solutiones, nec putarunt sibi esse necesse, cogitationes suas accurate componere. In quo rerum articulo constitutus David ad compositionem

hujus poematis accesserit, difficile dictu est. Vero assimile non est, has preces a Davide fuisse directas contra obtretractores in aula Saulis, qui assentando, obtretractando et gloriose loquendo irritabant Saulem contra ipsum, multumque nocebant hoc modo ei et bonis omnibus, ut itaque hoc carmen *שְׁמַחְתָּ עִמָּנוּ* sit cum XII, XI et LIV, in quibus eodem plane sint querelæ et preces.

1. Quare, Jova, stas in longinquo, abscondis oculos temporibus angustiarum?
2. In fastu improbi æstuat afflictus; capiuntur *justi afflicti* consiliis quæ illi *improbi* excogitarunt.
3. Nam gloriatur improbus de libidine animæ suæ, et rapax execratur, spernit Jovam.
4. Improbus secundum altitudinem nasi sui: « Non requirit! Non est Deus! » *Hæ sunt omnes cogitationes* ejus.
5. Firmæ sunt viæ ejus omni tempore; alta (remota) *sunt* judicia tua ab eo; omnes adversarii ejus (nomin. absol.), flat in eos.
6. Dicit in corde suo: « Non nutabo! in omnes generationes ego qui non sim in malo! »
7. Exsecratione os ejus plenum, et fraudibus, et oppressionibus sub lingua ejus ærumna et iniquitas.
8. Sedet in insidiis pagorum: in latibulis occidit insonem, oculi ejus in pauperem speculantur.
9. Insidiatur in latibulo, ut leo in lustrò suo; insidiatur ad rapiendum afflictum; rapit afflictum, trahens eum reti suo.
10. Conterit se, deprimit se (leo, vel improbus); et labitur in unguilas ejus miser.
11. Dicit in corde suo: « Oblitus est Deus; obvelavit faciem suam, non videt unquam. »
12. Surge, Jova; Deus, tolle manum tuam, ne obliviscaris afflictorum.
13. Quare spernit improbus Deum? *Quare* dicit in corde suo: « Non requiris? »
14. *Imo* vidisti; nam tu vexationem et ægritudinem spectas, ad indendum *eas* in manu tua; tibi rem suam committit pauper, orphanus tu es auxiliator.
15. Frange brachium improbi; et malus (nomin. abs.) — quæres improbitatem ejus, et non invenies.
16. Jova est rex sæculi et æternitatis (in æternum); evanescent gentes e terra illius.
17. Desiderium afflictorum audisti, Jova; eriges (firmabis) cor eorum; attentam præbebis aurem tuam,
18. Ad judicandum orphanum et afflictum: ne pergat *improbus* protertere hominem *miserum* e terra *patria*.

NOTE.

Vers. 2. *In fastu*, i. e. improbis insolenter se gerentibus. *Æstuat*, indignatione, ait Hengstenberg; alii, *angore*. — Vers. 3. *Gloriatur de*, proprie *laudat*, scil. seipsum; vel, *laudem dat libidini*, ut veritè Ewaldus. *Libidini*, pravis studiis. *Execratur*, בָּרַךְ sumendo in *malam* partem. Crelier, *benedixit Jove*, post injustum valde quæstum, quod est revera Deum *spernere*; alii, *benedixit animæ suæ*, felicem se predicat; alii, *aliquem defugit*. — Vers. 4. *Secundum*, etc. pro elato naso, pro fastu suo. — Vers. 5. *Firma*; alii, *perversa*... *remota a conspectu ejus judicis*, i. e. *leges Dei*. In priori sensu *judicia* sunt divinæ castigationes. *Flat*, quemadmodum Plautus in *Milite Glorioso* I, 1, 17: « Cujus tu legiones dillavisti spiritu, Quasi venter folia. » — Vers. 6. *Dicit*, cogitat. Alii in *omnes generationes* jungunt cum *nutabo*. — Vers. 7. *Exsecratione*. *Vatablus*: *Improbi*, ut probos facilius decipiant, pleno ore perjuriam evomere solent. Alii aliter. *Ærumna et iniquitas*, i. e. vexatio et injustitia, seu mendacium. — Vers. 8. In hoc et seq. versus vates describit oculos sceleratorum modificationes, quibus vite et bonis innocentium insidiatur; in hoc verso quemdam imagine *latronis*, in oculis insidiis subsidentis, ut viatores, ubi commodum erit, bonis ac viâ spoliat; in altero autem verso imagine *leonis*, e lustris suis prospicientis, num qua se offerat præda, atque in eam summo impetu ruentis. *Pagorum*, muro circumdatorum. De Muis: Videtur Alexandrinus vel קַשְׁיִים legisse, vel certe *chatsirim* in significatione *atriorum*, quæ plerumque adhaerebant divitiis domibus ac magnatum palatiis accepisse, et ita quodammodo sensum expressisse. *Speculantur*; alii, *insidiantur*. חָקַךְ, quod Masorethæ scriptum volunt pro חִלְךְ, *turba tua, populus tuus*, oritur et rad. חָלַךְ, *niger fuit*; vel, ut Hengstenberg, est quadrilitterum e הוּרַךְ, *infirmus fuit*, et כָּחַךְ, *tristis fuit*, compositum; vel, ut Maurer, ex insinatio לִכַּח לִכַּח, *percussus* seu *humis prostratus* est, premissa gutturali ך, quæ haud raro quadrilitteris formandis adhibetur. — Vers. 9. *Reti suo*. Nova imago ab homine quodam venatore sumpta; nisi cum Schredero dicas, leoni quoque, grandiori stylo, rete in insidiis expansum dari. — Vers. 10. *Conterit se*, colligit et contrahit se leo prædam invasurus, tum ne aspiciatur, tum ut potentius insiliat. Hengstenberg, et *contusus* (legit *vedakah*, contunditur, scil. in reti) *deprimitur et labitur*. *Ungulas*, proprie *ambo valida*, quo vocabulo sive *ungues* sive *membra* designantur. — Vers. 11. *Dicit improbus*. *Oblitus est*, vel obliviscitur, tum crudelitatis impiorum, tum justorum afflictionis. — Vers. 12. *Manum tuam*, instar fortissimi bellatoris, qui magno robustissime manus nisi graves icter incutere molitur. *Afflictorum*. *Anaxim* mansuetos, *axatim* vero afflictos denotat; quantum multi cum Schulensio utrumque vocabulum eodem sensu accipiunt. — Vers. 13. *Spernit*, repudiat. — Vers. 14. *Ægritudinem*, seu indignationem, sensu activo. *In manu tua impressas*, ut certius eas in memoria conserves. — Vers. 15. *Quæres*, ut vindices. *Non invenies*, quippe que jam perdomita, penitus deleta et e rerum quasi natura abolita fuerit. Hebræis *perquiri*, nec *inveniri* ea dicuntur, que derепente excisa et deleta ita disparent, ut nec vola, nec vestigium inveniri queat. Minus recte Maurer, *ne illa improbitas assequatur* aliquid, ne pervincat. — Vers. 16. *Rex Israelitarum*. *Terra Canaan*. — Vers. 18. *Ad judicandum*, causam agendam. *Protertere*. Alexandrini, *ne pergat tibi*, o Deus, *insultare mortalis in terra* hæc humili degens; alii, et *terra ortus*; alii, *ex hac terra insultare tibi*, qui celos habites. Cæterum notanda est paronomasia inter *laurois et aareis*, que vocabulis latinis etiam inest, *terrere et terra*.

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS IX

TITULUS ET ARGUMENTUM.

In finem pro occultis filii, Psalmus David.

Hanc titulum Hebræi legunt: *Victori super mortem filii*; et quidem verba hebræica, ut modo leguntur, ita sonant. Sed quia Psalmus hic est Psalmus lætitiæ, et David non lætitia, sed merore maximo affectus fuit ex morte filii, ideo aliqui volunt vocem illam, לָבֵן *laben*, legendam esse ordine litterarum converso, videlicet בָּן *babai*, ut sensus sit, *pro morte Nabai*. Sed Psalmus non loquitur de morte unius hominis tantum, sed etiam de inieritæ magis alienigenis exercitus. Ideo alii dicunt in hoc Psalmo gratias agi Deo pro morte Goliath, et fuga totius exercitus Philistinorum. Sed Goliath non fuit filius David, ut inscribere debuere Psalmum, *pro morte filii*. Verissima est igitur lectio Septuaginta et Vulgatæ latine editionis, *pro occultis*, sive *arcanis filii*. Voces enim illæ. חַדְוֹת *almuth*, possunt ægi *alamoth*, quod significat *occulta*, sive *arcana*, et credibile est excidisse propositionem *al*, et legendum *al alamoth*, *pro occultis*, sicut legitur in titulo Psalmi xlv. Certe Septuaginta Interpretes, qui utraque titulum eodem modo reddiderunt, videlicet *pro occultis*, sine dubio eodem modo legerunt, videlicet *al alamoth*, neque dubium esse potest quin libri eorum emendatores fuerint quam nostri. Quia vero ponitur hoc loco nomen *filii* absolutè, et præcedit nomen *arcani* sive *occulti*, id est mysterii reconditi, recte intelligimus in Psalmo tractari de unico illo Filio Dei, qui in carne humana delitescens, et novo bellandi genere pugnavit, vicit diabolum et exercitum ejus, quod Apostolus *Coloss.* 1, vocat mysterium absconditum a sæculis. Ad quem sensum reduci potest lectio hebræica, *pro morte filii*, i. e. pro morte Christi Filii Dei, quatenus ea mors fuit gloriosa debellatio principis tenebrarum.

EXPLICATIO PSALMI.

1. CONFITEBOR TIBI, DOMINE, IN TOTO CORDE ME, NARRABO OMNIA MIRABILIA TUA.

Proponit materiam Psalmi, quæ erit laudatio Dei propter opera ejus mirabilia. Illud, *in toto corde*, significat rem esse omnium maximam, quam laudaturus est, et ideo totis viribus totoque affectu laudandam. Illud etiam, *omnia mirabilia*, significat, rem laudandam esse tam universalem, ut quasi compendio quodam comprehendat omnia opera mirabilia Dei. Et vere talis fuit redemptio generis humani, opus summæ misericordiæ, in quo recapitulatur omnia beneficia Dei, juxta illud Apostoli ad *Ephes.* 1, 10: « Instaurare omnia in Christo, » id est recapitulare, ut sonat vox græca, ἀνακατασκευάζω, et in nam quasi summam omnia redigere.

2. LETADOR ET EXULTADO IN TE: PSALLAM NOMEN TUO, ALTISSIME.

Idipsum aliis verbis significat, vel potius explicat, quasi dicat: Confitebor tibi letabundus et exultans, ita ut lætitia sit in corde, exultatio in exteriori motu, atque ita in toto corde confitebor. Narrabo mirabilia psallens nomen tuo, Altissime, id est, in gloriam tuam canens illa mirabilia.

3. IN CONVERTENDO INIMICUM MEUM RETRORSUM: INFIRMABUNTUR, ET PERIBUNT A FACIE TUA.

Ἀνεψιῶ narrare victoriam Christi contra diabolum et satellites ejus, et loquitur in persona totius Ecclesie: « In convertendo, inquit, inimicum meum retrorsum, » id est, cum converteretur inimicus meus diabolus retrorsum, fugere videbunt incipientes a facie tua; tunc omnes ejus milites infirmabuntur et peribunt, id est, cognita fuga ducis, debiles reddentur, et dilabentur, ac evanescent, ac si perissent. De hac fuga diaboli loquitur in Evangelio Dominus: « Nunc judicium est mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras, » *Joan.* xii, 31.

4. QUONIAM FECISTI JUDICIUM MEUM ET CAUSAM MEAM: SEDISTI SUPER THRONUM, QUI JUDICAS JUSTITIAM.

Reddit causam quare futurum sit ut diabolus fugiat, et totus ejus exercitus dissipetur: « Quoniam, » inquit, tu Domine fili Dei, « fecisti judicium meum et causam meam, » id est, absolvisti judicium et litem (id enim proprie sonat vox hebraea דָּיִן *dimi*), et controversiam quæ erat generi humano, sive Ecclesie cum diabolo. Diabolus enim pretendebat genus humanum juste a se teneri captivum, et tyrannice illud vexabat; sed Christus in cruce absolvit hanc litem, satisfecit

pro homine; unde subditur: « Sedisti super thronum, qui judicas justitiam, » ubi crucem vocat thronum, juxta illud S. Leonis serm. 8 *De Passionem Domini*: « O ineffabilis gloria passionis, in qua et tribunal Domini, et judicium mundi, et potestas est crucifixi! » Atque hæc sunt vere ocella Filii Dei, ut habetur in titulo Psalmi. Qui enim in oculis hominum reus videbatur, et cum summa ignominia periret, in illo ipso tempore in throno sedens justitiam judicabat, id est justissime judicabat, jam pretio persoluto, hominem liberandum, et diabolum dominio spolandum, et re ipsa « chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, » ut scribit Apostolus *Coloss.* ii, 14, « tulit de medio, diligens illud cruci, et expolians principatus et potestates. »

5. INCREPASTI GENTES, ET PERIIT IMPIUS: NOMEN EORUM DELESTI IN ÆTERNUM, ET IN SÆCULUM SÆCULI.

Post debellatam diabolum per crucem, Dominus Christus per Apostolos increpavit gentes, arguens « mundum de peccato, de justitia, et de judicio, » (ut ipse Dominus futurum prædixit *Joan.* xvi, 8), et eo modo perit impius, id est perit impietas idololatricæ, et homo de impio factus est pius. Nec solum perit impius, qui tunc erat; sed delevit Christus nomen eorum, id est gentilitatis et idololatricæ in æternum, ut non amplius sint rediturae, quasi stirpibus eradicatae. Id quod jam videmus ita impletum, ut ne fudei quidem colant amplius idola, qui ad ea colenda propensissimi erant. Quod attinet ad verba, in græco non est, *nomen eorum*, sed *nomen ejus*, id est impii; sed in hebræo est שֵׁם *schemam*, *nomen eorum*, et latina interpretatio idem habet, vel quod olim in græco ita legeretur, et postea sit mutatum vitio librorum; vel quod latino interpreti magis placerit lectio hebraica; sed in sententia non est diversitas ullius momenti. Illud autem, *in æternum*, et *in sæculum sæculi*, in hebræo est לְעוֹלָם וָעֶד *leolam ve'ed*, in *sæculum* et *in æternum*; significatur autem ista additione vere æternitas, id est nunquam finienda duratio, ne quis acciperet hoc loco æternum pro longo tempore, sed aliquando finem habituro.

6. INIMICI DEFECERUNT FRAMEÆ IN FINEM: CIVITATES EORUM DESTRUXISTI.

Reddit causam, cur non sit reditura idololatricæ: quia perierunt arma diaboli, et civitates ubi habitabat, ita ut non habeat, nec unde offendant, nec ubi se defendat. Illud, *inimici*, est genitivi casus, ut patet ex græco: nam ex hebræo posset etiam verū, *o inimice!* sed rectissime est versio

græca et latina, et non repugnat hebraicæ. Pro *frameæ*, in hebræo nunc legitur *solitudines*: sed verbum חֶרְבוֹת *charaboth*, significat *gladios*, et *charaboth*, *solitudines*: utrumque autem legi potest, solum mutatis punctis. Itaque Septuaginta legerunt *charaboth*; ideo recte verterunt *frameæ*, sive *gladii*, ut sensus sit: Defecerunt gladii hostis nostri diaboli, usque in finem, id est nullo remanente, sive in æternum. Illud etiam, *civitates eorum*, in hebræo et græco habetur sine pronomine *eorum*: *Et civitates destruxisti*, nimirum inimici, quasi dicat: Inimicus amisit gladios et civitates. Per *gladios inimici* intelligi possunt tentationes, sive suggestiones, et quasi verba diaboli, sicut *gladium spiritus* vocat Apostolus verbum Dei: unde etiam idem Apostolus tentationes diaboli esse dicit *tela ignea*, ad *Ephes.* v. Dicuntur autem isti gladii defecisse, quia nihil nocere possunt armatis fide Jesu Christi. In quo sensu allegavit hunc locum Psalmi S. Antonius apud Athanasium in Vita ipsius, probare volens tentationes diaboli signo crucis facillime repelli. Per *civitates* autem diaboli intelligi possunt homines infideles, in quibus diabolus libere regnat. Destruxit Christus has civitates, dum per totum mundum idola sustulit. De hac re Dominus loqui videtur, cum ait *Luc.* xi, 21: « Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quæ possidet; si autem fortior eo supervenientis fuerit cum, universa arma ejus auferet, » etc. Cum diabolus custodiebat atrium, in pace erant omnia quæ possidebat, id est, cum infidelitatem conservabat, secure possidebat omnia sua; quia dum homo est infidelis, semper est in manu diaboli, etiamsi moraliter bene vivere videatur, ut multi philosophi atque ethnici faciebant. At atrio expugnato per Christum, id est infidelitate sublata, et cognitione veri Dei introducta, omnia sua diabolus perdidit.

7. PERIIT MEMORIA EORUM CUM SONITU: ET DOMINUS IN ÆTERNUM PERMANET.

In hebræo, ut nunc legitur, non habetur *cum sonitu*, sed *cum ipsis*, ut sensus sit: perierunt impii, et cum ipsis perit etiam memoria ipsorum. Cæterum vox hebraica potest legi *hemmah*, et significat *cum ipsis*; potest etiam legi חֲמַח *hamah*, et significat *sonitum*: et sic legerunt Septuaginta interpretes, et addiderunt perspicuitatis gratia prepositionem *cum*, et ideo verterunt *sonitu*; sensus autem est, perisse memoriam idololatrarum, et ipsorum idolorum, et totius regni Satanæ cum magno strepitu et sonitu. Repugnavit enim mundus totus, et ipsi summi reges, et imperatores totis viribus conati sunt idola defendere; sed quo magis mundus fremebat, eo magis idololatricæ cædebat, et memoria ejus abolebatur. Denique finito strepitu persecutionum, memoria quoque idololatricæ perit: Dominus autem Christus, et ejus memoria nunquam peribit.

8. PARAVIT IN JUDICIO THRONUM SUUM: ET IPSE JUDICABIT ORBEM TERRÆ IN ÆQUITATE, JUDICABIT POPULOS IN JUSTITIA.

Post Christi mortem et resurrectionem, « data est ei potestas in celo et in terra, » *Matth.* cap. ultimo. In hoc loco David commemorat, quasi dicat: Post certamen cum diabolo Dominus « paravit, » sive, ut sonat vox hebraea, יָצַח *chonen*, *stabilevit*, a thronum suum in iudicio, » id est ad iudicandum, et ipse, qui est princeps regum terræ, « iudicabit orbem terræ, » id est populos omnes totius mundi, « in æquitate et justitia. » Idem est autem hoc loco æquitas et justitia; nam tam in hebræo quam in græco pro *æquitate* habetur *justitia*, pro *justitia* habetur *rectitudo*. Litus interpres non accepit æquitatem proprie, sed, ut poni solent aliquando, pro *justitia*; et sicut in hebræo et græco res eadem bis repetitur diversis vocibus, ita erudendum est latinum interpretem idem intelligi voluisse per æquitatem et justitiam. Dicitur autem Christus iudicare orbem terræ, quamvis multi sint in mundo principes infideles et impii, qui contra Christum pugnant, quoniam corda eorum in manu Christi sunt, nec faciunt, nisi quod ipse justo iudicio facere eos sinit.

9. ET FACTUS EST DOMINUS REFUGIUM PAUPERI: ANIMATOR IN OPPORTUNITATIBUS, IN TRIBULATIONE.

Ex eo quod deinceps regnabit Dominus Christus, et iudicabit juste, colligit David magnam consolationem pauperum, qui alias a potentibus opprimi solent, quasi dicat: *Non timeant amplius pauperes*, quia Dominus in celo sedens factus est refugium pauperum; et rursus idipsum aliis verbis repetit: « Adjutor, inquit, pauperum in opportunitatibus, » id est temporibus opportunis, quando videlicet necessitas id requirit, nimirum in tribulatione. Tunc enim opportune divinum præbetur auxilium, quando tribulatione urgeat, et deficit humana consolatio. Adimpletur autem hæc promissio in omnibus, qui Deum vere querunt et timeant, et ideo subjungit:

10. ET SPERENT IN TE, QUI NOVISTIS NOMEN TUUM: QUONIAM NON DERELIQUISTI QUÆRENTES TE, DOMINE.

Mutato personæ frequens est in Psalmis, et sæpe nascitur ex affectu novo, qui Davidi inspirabatur, dum laudes Dei caneret. Merito, inquit, in te sperare possunt in *angustiis suis* omnes, qui noventur nomen tuum, id est, qui non solum sonant voce nomen Dei, sed probe intelligunt quam magnam rem significat, et ex nomine isto recte intellecto cognoscunt potentiam et misericordiam Dei. Ideo merito in te sperare possunt amici tui, « quoniam non dereliquisti, » id est, nunquam dereliquisti quærentes te. Dicuntur autem quærerere Deum, qui cupiunt ejus gratiam, et student toto corde placere illi.

11. PSALLITE DOMINO, QUI HABITAT IN SION : ANNUNTIATE INTER GENTES STUDIA EJUS.

Post apostropham ad Deum, ex eodem fervore spiritus facit aliam ad homines, exhortans eos, ut ipsi quoque Deum laudent, et alior ad laudandum excitent. Dicitur Dominus habitare in Sion, quia ibi erat arca testamenti, et locus orationis : et additur hæc periphrasis, ut distinguatur Deus versus a diis falsis, qui habitant in delubris, et fanis ethnicorum. Illud autem, *studia ejus*, significat cogitationes, consilia, molimina, adinventiones, opera Dei mirabilia, quæ relucunt in redemptione generis humani. Nam idem vocabulum hebraicum עֲלִילוֹת *haliloth*, quod hic vertitur *studia*, in *Psalm.* civ vertitur *opera*, et *Isai.* xii, in cantico Isaie, vertitur *adventiones*. Itaque sensus est : Cantate Deo vero Psalmum, laudantes eum, et annuntiate inter gentes mirabiles cogitationes, et mirabilem industriam, atque adeo mirabilia opera ejus, ut omnes gentes hæc audientes illum laudent.

12. QUONIAM REQUIRENS SANGUINEM EORUM RECORDATUS EST : NON EST OBLIVIS CLAMOREM PAUPERUM.

Redit Propheta ad id quod dicebat, Dominum justum iudicem esse refugium pauperum in tribulatione; et respondet tacite objectioni, quæ poterat fieri, quia videmus interdum pauperes pios opprimi a potentioribus, et etiam innocentes occidi. Laudate, inquit, Deum, quoniam eliamis videatur aliquando oblivisci pauperum suorum, tamen non ita est, sed « requirens, » id est, inquirens in vitam hominum, et discutiens acla singulorum, « recordatus est sanguinem » innocentium injuste effusum, et « non est oblitus clamorem » eorum, qui dum opprimerentur, clamaverunt ad eum. Deum autem recordatum esse sanguinem suorum, patebit suo tempore, quando et opprimentium pœna, et oppressorum gloria manifestabitur.

13. MISERERE MEI, DOMINE : VIDE HUMILITATEM MEAM DE INIMICIS MEIS.

Laudavit Deum de præteritis beneficiis; nunc implorat auxilium adversus presentes et futuras angustias. Est autem vox Ecclesie contra persecutores tunc visibiles, tunc invisibiles. « Miserere, inquit, mei, Domine, vide humilitatem meam, » id est abjectionem meam (id enim sonat verbum grecum ταπεινωσις), sive afflictionem (quod significare solet verbum hebraicum חָנַן *hani*) de inimicis meis, id est ex inimicis meis provenientem.

14. QUI EXALTAS ME DE PORTIS MORTIS, UT ANNUNTIEM OMNES LAUDATIONES TUAS IN PORTIS FILIÆ SION.

Prima pars hujus versiculi conjungitur cum

superiore versu. Est enim circus « miserere mei, et vide humilitatem meam, » tu Domine, « qui exaltas me de portis mortis, » id est, qui soles me longe facere a portis mortis; et quia portæ illæ intelliguntur esse in loco inferiori, et eadem cum portis inferi, quia non loquitur Propheta de morte corporis, sed de morte anime per peccatum, sive de morte æternæ; ideo exaltari se dicit, ut longe fiat ab illis. Per portas mortis, sive inferi, videtur intelligenda multitudo infernalium hostium nostrorum. Quia enim multitudo populi ad portas convenire solebat apud Hebræos, sive ad iudicium, sive ad alia publica negotia, ideo multitudo nomine portarum significatur *Matth.* xvi, 18 : « Portæ inferi non prævalent adversus eam; » *Eccl.* cap. ultimo : « De Poris tribulationum, quæ circumderunt me, » pulchre autem opponuntur portæ mortis, portis filiæ Sion, id est portis Jerusalem : quia portæ mortis seu inferi in loco infimo sunt, portæ Jerusalem in monte excelso; in portis mortis congregatur populus infernalis, in portis Jerusalem populus Dei. Portæ mortis tentationes et bella emittunt, per quæ itur ad mortem; portæ Jerusalem in pace fundatæ sunt. Jerusalem enim posuit fines suos pacem, et ipsa visio pacis dicitur. Itaque exaltatur Ecclesia a portis mortis, ut annuntiet laudem Dei « in portis filiæ Sion, » id est, liberatur a tentationibus, ne cadat in mortem æternam, ut gratiam liberatoris agnoscat, et laudet coram angelis Dei, qui sunt in portis celestis Jerusalem.

15. EXULTABO IN SALUTARI TUO : INFIXÆ SUNT GENTES IN INTERITUM QUEM PEGERUNT.

Exultabo, inquit, liberatus de portis mortis, « in salutari tuo, » id est in salute a te mihi donata. Quoniam (id enim subintelligitur, ut sæpe alias in Psalmis) gentes quæ mihi interitum fecerunt, id est paraverunt, in ipsum interitum infixæ sunt, tanquam in luto tenacissimo, unde evadere nequebunt : hoc est, persecutio inimicorum non mihi nocuit, sed ipsis.

16. IN LAQUEO ISTO, QUEM ABSCONDERUNT, COMPREHENSUS EST PES EORUM.

Nec solum aperta persecutio, sed etiam occulta, quæ veluti laqueus tendebatur, auctoribus perniciosa fuit, non mihi. Fortasse hic tanguntur persecutiones apertæ Diocletiani et similium, et occultæ Juliani apostatæ et imperatorum hereticorum.

17. COGNOSCETUR DOMINUS JUDICIA FACIENS : IN OPERIBUS MANUUM SUARUM COMPREHENSUS EST PEGATOR.

Ex hoc mirabili iudicio Dei, qui convertit arma et fraudes hominum impiorum in ipsos, colligit David fore, ut cognosceatur Deus : « Cognosceatur Dominus iudicia faciens, » id est, cognosceatur

esse Deus verus et summus, dum iudicia facit tam admiranda; nam per ejus providentiam « in operibus manuum suarum comprehensus est peccator, » nimirum dum incidit in interitum quem alii paraverat, et in laqueum quem alii tenderat. Similia habentur in *Psalm.* vii, vers. 15, et eundem sensum habent. Post hunc versiculum in hebræo additur, חִיגַיוֹן סֶלַח *higgaion selah*, quod verti potest, *meditatio semper*, quod significat, iudicia Dei supradicta assidue ac jugiter esse meditanda.

18. CONVERTANTUR PECCATORES IN INFERNUM, OMNES GENTES, QUÆ OBLIVISCUNTUR DEUM.

Non præcatio, sed propheta est, impius ad inferos descensurus. Convertantur positum videtur pro revertantur, ut vox hebræa יָשׁוּבוּ *tasubū* sonat, et revertantur pro revertatur. Dicitur autem peccatores reversuri ad inferos, quia inde venerunt, quæ peccatores sunt. Deus enim fecit hominem rectum, sed diabolus eum peccatorem fecit. « Vos, » inquit Dominus *Jon.* viii, « ex patre diabolo estis. » Quod sequitur : « Omnes gentes quæ obliviscuntur Deum, » declarat qui sint peccatores reversuri in infernum, illi nimirum omnes, qui obliviscuntur Deum. Oblivio enim Dei est radix omnium peccatorum; nam omni qui peccat, avertitur a Deo, et convertitur ad creaturam.

19. QUONIAM NON IN FINEM OBLIVIO ERIT PAUPERIS PATIENTIA PAUPERUM NON PERIBIT IN FINEM.

In hebræo non habetur negatio in secundo membro, sed legitur : *Patientia pauperum peribit in æternum*; sed negatio prioris membri ex phrasi hebræica trahitur etiam ad membrum posterius, et ideo Septuaginta Interpretes recte verterunt, *non peribit*. Significat autem hic versiculus, ideo peccatores, qui pauperes opprimere solent, in infernum deiciendos, quoniam Deus vindictam aliquando sumet de oppressione pauperum suorum. Quamvis enim ad tempus videatur non recordari eorum, tamen non obliviscetur eorum in finem; sed aliquando recordabitur, et proinde patientia sive expectatio pauperum non peribit « in finem, » id est in æternum, ut sonat vox hebræa תָּלַם. Dicitur autem patientia pauperum non peritura in æternum, non quoad se, sed quoad suum effectum, quasi dicat : Non frustrabitur in æternum, sed aliquando effectum suum sortietur.

20. EXURGE, DOMINE, NON CONFORTETUR HOMO : JUDICENTUR GENTES IN CONSEQUETU TUO.

Postquam prædixit interitum impiorum, rogat Deum ut incipiat coercere impios : « Exsurge, inquit, Domine, non confortetur, » id est, non prævaleat homo, qui pulvis est, contra Deum factorem suum. « Judicentur gentes in conspectu tuo, » id est, iudicium contra eos a facie tua pro-

deat. Quod in alio Psalmo legimus : « Judica illos, Deus. »

21. CONSTITUTE, DOMINE, LEGISLATOREM SUPER EOS, UT SCIANT GENTES QUONIAM HOMINES SUNT.

Judicium contra gentes, quæ persequebantur Ecclesiam, manifestum fuit, quando subjecte fuerunt principi christiano. Tunc enim intellexerunt Gentiles, se homines esse, infirmos videlicet, et contra Christum prævalere non posse. Id prædicit Propheta per modum precantis. Nomen hebraicum מוֹרָה *morah*, vel *moreh*, *doctorem* significat, et etiam *terrorem*, ut verit S. Hieronymus. Et quia Propheta loquitur de doctore terribili, qui cum imperio præcipit et docet, ideo recte *legislatorem* dixerunt Septuaginta Interpretes. Tunc per hunc legislatorem intelligunt Christum, multi Antichristum. In re obscurissima quisque in suo sensu abundet. Ergo Constantinum intelligo, Jovinianum, Valentinianum, Theodosium, et similes.

22. UT QUID, DOMINE, RECESSISTI LONGE, DESPICIS IN OPPORTUNITATIBUS, IN TRIBULATIONE ?

In hoc versu incipiunt Hebræi Psalmum decimum, sed hanc distinctionem Septuaginta Interpretes non habuerunt; et credibile est a posterioribus excogitatum fuisse distinctionem, propter eam quod materia hujus partis Psalmi videatur diversa omnino a materia prioris partii, cum in parte prioris exsultet Ecclesia pro victoria contra inimicos Dei et suos, in posteriore gemat ob eorundem inimicorum prosperos successus adversus Ecclesiam. Sed non tam est diversa materia, quam diversa sunt tempora quæ David propheta percurrit. In principio enim Psalmi exultabat David in spiritu ob occulta mysteria Filii Dei, qui moriendo debellavit aereas potestates et Gentilitatem, atque idola destruxit; deinde in fine prioris partis, et in hac posteriore prædicit persecutiones Ecclesie, tum a gentibus, tum ab aliis malis hominibus excitatis, quæ interdum ita crescut, ut videatur Dominus oblitus esse populi sui, quem tam gloriose liberaverat; et quia dixerat paulo ante : « Factus est Dominus refugium pauperi, adiutor in opportunitatibus, in tribulatione, » ideo nunc respiciens aliud tempus, quo, Deo permittente, pauperes opprimuntur a potentioribus, ait : « Ut quid, Domine, recessisti longe, » id est, ite permittis impios grassari in justos, ac si non adesses, sed longe recessisses? « Despicis, » tuos pauperes videlicet, « in opportunitatibus, » quando opportunitum esset eos juvare, nimirum « in tribulatione. »

23. DUM SUPERBIT IMPIUS, INCENDITUR PAUPER : COMPREHENDENTUR IN CONSILIIS, QUIBUS COGITANT.

Difficilis omnino versiculus; videtur hæc esse sententia : « Dum superbit impius, » id est, dum impius prospere agit, et gloriosus apparat, tunc

« incenditur pauper, » id est scandalizatur, et uritur aestu cogitationum justus pauper. « Comprehenduntur in consiliis quibus cogitant, » id est, uterque, tam impius gloriosus, quam justus pauper, comprehenditur et illaqueatur consilio, id est cogitatione sua. Nam impius cogitat sibi deberi illam felicitatem, et ipse se decipit: justus vero videns impium prospero agere, cogitat quid hoc sibi velit, et magis ac magis se involvit. Quod ad grammaticam attinet, cum dicitur, « in consiliis, quibus cogitant, » graecismus est, et latius interpres ad verbum vertere voluit. Nos enim diceremus: in consiliis, de quibus cogitant, vel quae cogitant. Per consilia vero cogitationes intelligimus, ut magis proprie significat vox hebraica. Porro haec videtur ratio versiculi superioris: ideo enim rogavit Propheta Deum, ut non despiceret pauperem in tribulatione, quia prosperitas impiorum et impiis et justis nocet, dum illi superbiunt, isti scandalizantur.

24. QUONIAM LAUDATUR PECCATOR IN DESIDERIIS ANIMAE SUAE, ET INIQUITUS BENEDICITUR.

Hebraica lectio, ut nunc se habet, ad verbum sic vertenda esset: Quoniam laudavit impius desiderium animae suae, et ovarus benedicens exacerbat Dominum. Sed remotis punctis et distinctionibus, quae tempore Septuaginta Interpretum non aderant, clarissime ceritur sententia, quam Septuaginta rectissime expresserunt. Verbum enim ללל *hillel*, quod significat laudavit, si legatur הילל, ut Septuaginta legerunt, significat laudatus est; et verbum ברכך *berech*, benedicens, si legatur הברך *baruck*, significabit benedictus est. Illud autem, exacerbat Dominum, pertinet ad versiculum sequentem, qui incipit: « Exacerbat Dominum peccator. » Reddit igitur causam Propheta, cur ex prosperitate superbiat impius, et uratur pauper: quia videlicet peccator male agit, et tamen quia dives est et potens, laudatur a multis, quasi bene agat, et desideria anime ejus, id est desideria ipsius (est enim phrasim hebraica, desiderium anime mea, pro desiderium meum), quamvis iniqua et injusta approbantur, et hinc fit ut iniquus benedicatur, cum maleficus potius mereretur.

25. EXACERBAVIT DOMINUM PECCATOR: SECUNDUM MULTITUDINEM IRAE SUAE NON QUERET.

Pergit explicare malitiam peccatoris superbi: « Exacerbavi, inquit, Dominum peccator, » et eum debet omni studio querere reconciliationem, « secundum multitudinem irae suae non queret, » id est, propter magnitudinem irae suae in pauperes afflictos, non queret Deum, vel reconciliationem cum Deo. Ita enim arrogantia excoecat ejus mentem, ut non cogitet peccator quam magnum sit malum exacerbare Deum omnipotentem.

26. NON EST DEUS IN CONSEQUU EJUS: INQUINATE SUNT VLE ILLIUS IN OMNI TEMPORE.

Excoecatus peccator non cogitat Deum. In hebraeo majori emphasi legitur: Non est Deus in omnibus cogitationibus ejus, id est, in nulla ejus cogitatione est Deus, id est, cum, am multa cogitet, nunquam cogitationi ejus occurrit Deus. Ita funditus Deum oblitus est. « Inquinatae sunt vae illius in omni tempore. » Hoc sequitur ex superiore, quia nunquam Deum cogitat; nullo tempore dirigit viam suam ad Deum, sed ad carnalia desideria explenda: et ideo omnes viae, id est, omnia opera ejus sunt inquinata sorde concupiscentiae.

27. AUFERUNTUR JUDICIA TUA A FACIE EJU OMNIUM INIMICORUM SUORUM DOMINABITUR.

Id quod eum convertere possit a via mala, cogitatio videlicet terribilium judiciorum tuorum, longe est a corde ipsius; et ideo sine ullo timore Dei dominatur omnium inimicorum suorum, id est tyrannice opprimit omnes quos inimicos suos putat.

28. DIXIT ENIM IN CORDE SUO: NON MOVEBOR GENERATIONE IN GENERATIONEM, SINE MALO.

Confidentia vana impij hic notatur; cogitat enim apud se nihil sibi nocere posse: « Dixit, inquit, in corde suo: Non movebor, » id est, nemo me commovere poterit, nec dejicere a statu meo; « a generatione in generationem sine malo, » supple, ero. Nam et in hebraeo et in graeco ponitur distinctio post verbum movebor, et in hebraeo clare apparet sensus ille: a generatione in generationem sine malo ero, quomodo etiam verit S. Hieronymus.

29. CUIUS MALEDICTIONE OS PLENUM EST, AMARITUDINE ET DOLOR: SUB LINGUA EJUS LABOR ET DOLOR.

Descripsit Propheta quale sit cor impij, quod videlicet non cogitet Deum, nec judicium ejus, et speret nihil mali sibi eventurum: nunc describit quale sit os, descripturus postea qualis sint opera. Dicit igitur os impij esse plenum maledictione, amaritudine et dolo. Ad maledictionem pertinet blasphemie in Deum, et convicia in homines; ad amaritudinem detractiones, murmuraciones, contentiones, et alia, odium et rancorem testantia; denique ad dolos calumniae, mendacia, perjuria. Quod additur, sub lingua ejus labor et dolor, significat effectum superiorum malorum. Eo enim tendunt omnia verba impij, ut laborem et dolorem afflictis afferant. « Sub lingua ejus labor et dolor, » id est, id quod est sub lingua impij, id est, materia in qua exercetur lingua impij, est labor et dolor miserorum hominum, qui ei quoquo modo subjiciuntur.

30. SEDET IN INSIDIIS COM DIVITIBUS, IN OCCULTIS, UT INTERIFICET INNOCENTEM.

Hic jam describuntur mala opera, id est oppressiones pauperum. Est autem oratio metaphorica, ducta similitudine ab iis, qui latent intra vestibula domus, ut observent, quando transeunt, quos interficere cupiunt. Significat autem Propheta hac metaphora, viros impios et potentes, adjunctis sibi sociis aliis divitibus et potentibus, variis artibus et dolis circumvenire pauperes, eosque ad extremam perniciem abducere. In hebraeo non est, insidit cum divitibus, sed in insidiis atriorum, seu vestibulorum. Ceterum Septuaginta non legerunt חשיתין *chaserim*, ut nunc habetur in codicibus hebraicis, sed חשירין *hasirim*. Illud enim atria, hoc divites significat. Itaque probabile est post tempora Septuaginta textum hebraicum fuisse mutatum.

31. OCULI EJUS IN PAUPEREM RESPICIUNT, INSIADIATUR IN AERCONDITO, QUASI LEO IN SPELUNCA SUA.

32. INSIADIATUR, UT RAPIAT PAUPEREM, RAPERE PAUPEREM, DUM ATTRAHIT EUM.

33. IN LAQUEO SUO HUMILIABIT EUM, INCLINABIT SE, ET CADET QUM DOMINATUS FUERIT PAUPEREM.

Quod dixit in versiculo tricesimo, exponit in his tribus versiculis varians metaphoras. Nam in 30 versiculo comparavit oppressorem pauperum homini insidianti alteri homini; in vers. 31 comparat leoni insidianti aliis bestiis debilibus; in vers. 32 et 33 comparat homini tendenti laqueos bestiis, et capienti eas. Versiculi duo postremi sunt in hebraeo multo clariores. Sic enim ad verbum reddi potest lectio hebraica, quomodo verit S. Hieronymus: Insidiatur, ut rapiat pauperem; rapiat pauperem cum attraxerit eum ad rete suum; et confectionem subjiciet, et irruat viribus suis valenter. Nostra vero lectio sic explicanda est: « Insidiatur ut rapiat pauperem; » rapere autem pauperem insidiatur tunc, cum eum ad se attrahit alliciendo incautum. « In laqueo » vero suo jam captum « humiliabit, » id est opprimit, et « inclinabit se » super eum, atque in eum « cadet, » id est, super eum irruet, « cum dominatus fuerit pauperem, » id est, cum iis plane potius fuerit. Et simul haec verba pulchre alludent ad causam inferiorem impij: tunc enim horrende cadit in servitium diaboli, eum dominari sibi videtur hominum miserorum.

34. DIXIT ENIM IN CORDE SUO: OBLITUS EST DEUS, AVERTIT FACIEM SUAM, NE VIDEAT IN FINEM.

Repetit causam tante impietatis, nimirum quia impius cogitat apud se, Deum non curare res humanas, nec unquam esse curaturum.

35. EXURGE, DOMINE DEUS, EXALTETUR MANUS TUA: NE OBLIVISCARIS PAUPEREM.

Rogat Deum, ut impios coercent: « Exsurge, » inquit, quasi a somno, et « exaltetur manus tua, » ad percutiendum: manus enim dormientis, vel quieti hominis, demissa et saepe complicata esse solent. In graeco adduntur duae voces: post Domine Deus, additur meus, et post ne obliviscaris pauperem, additur, in finem. Sed in hebraeo non habentur, nec in latinis emendatioribus.

36. PROPTER QUID IRRITAVIT IMPIUS DEUM DIXIT ENIM IN CORDE SUO: NON REQUIRET.

Iterum repetit causam, cur impius Deum irritet peccando, eam esse, quia cogitat Deum ista non requirere.

37. VIDES, QUONIAM TU LABOREM ET DOLOREM CONSIDERAS, UT TRADAS EOS IN MANUS TUAS.

Refellit Propheta illam causam, quasi dicat: Imo vides, o Deus et requiris, quod ex eo apparet, quia tu laborem et dolorem miserorum consideras, ut cum impleta fuerit mensura, tradas impios in manus tuas puniendos. In hebraeo et graeco habetur: Quoniam tu laborem et dolorem consideras, et sic etiam legit S. Augustinus, et S. Hieronymus, et si ita legamus, sensus erit: Quoniam tu laborem oppressorum et furorem opprimentium consideras.

38. TIBI DERELICTUS EST PAUPER, ORPHANO ERIS ADUTOR.

Merito ista consideras, quia tibi Patri omnium incumbit cura eorum, praecipue, qui sunt destituti omni alio auxilio.

39. CONTERE BRACHIUM PECCATORIS ET MALIGNI QUERE TUR PECCATUM ILLIUS, ET NON INVENIETUR.

« Contere brachium, » id est potentiam et robur peccatoris, et sic humiliatus respiciet, nec amplius peccabit: ideo quaeres postea peccatum ejus, et non invenies. Nam, ut ait Isaias cap. xxxviii, 19: « Sola vexatio dabit intellectum auditui; » et Psalm. lxxxiii, 17: « Imple faeces eorum ignominia, et quaerent nomen tuum. »

40. DOMINUS REGNABIT IN AETERNUM ET IN SECO LUM SAECULI: PERIBITIS, GENTES, DE TERRA ILLIUS.

Praedicit futurum, quod ut fieret, oraverat, « Dominus, » inquit, semper « regnabit, » in vitiis inimicis ejus; imo ipsi inimici peribunt, et extirpabuntur « de terra illius, » id est de orbe terrarum universo, « quia Domini est terra et plenitudo ejus, » Psalm. xliii, 1.

41. DESIDERIUM PAUPEREM EXAUDIVIT DOMINUS, PREPARATIONEM CORDIS EORUM AUDIUIT ABRAE: TUA: Quod futurum est, ponit tanquam praerita

propter certitudinem, nec dicit orationem, sed « desiderium pauperum, » ut ostendat celerem mandationem, *g. d.* Deus, qui scrutatur corda non expectabit orationem, sed ipsum desiderium, quod orationem praecedere solet, exaudiet. Idem vero est desiderium, et preparatio cordis; desiderium enim est preparatio ad orandum.

42. JUDICARE PUPILLO ET HUMILI, UT NON APFONAT ULTRA MAGNIFICARE SE HOMO SUPER TERRAM.

Exaudivit Dominus desiderium pauperum, « judicare pupillo et humili, » id est, ad hoc exaudivit, ut judicet causam pupilli et humilis contra ipsos eorum oppressores, ne deinceps homo au-

deat superbiere, « homo, » inquam, qui est « super terram, » contra Deum, qui est in caelo. In hebraeo significantius dicitur: *Ut nequaquam ultra superbiat homo de terra*, id est homo ex terra compositus, *g. d.* Ut non superbiat figmentum contra factorem suum. Haec omnia quae dicuntur in hoc Psalmo adversus impium oppressorem pauperum, attribuuntur Antichristo a Sr. Hieronymo et Augustino; et sine dubio illi conveniunt per antonomasiam omnia quae dicuntur in genere de impiis: sed si ad litteram dicuntur haec de oppressoribus pauperum in genere, ut nos existimamus, certe manifeste apparet quam ingens crimen sit, quod tot verbis, et tam significantibus a Spiritu Sancto reprehenditur.

PSALMUS XI.

SECUNDUM HEBRAEOS.

V. v. — 1. *In finem, Psalmus David.*

2. In Domino confido; quomodo dicitis animae meae: Transmiga in montem sicut passer?

3. Quoniam ecce peccatores intulerunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde.

4. Quoniam quae perfecti destruxerunt: justus autem quid fecit?

5. Dominus in templo sancto suo, Dominus in caelo sedes ejus.

Oculi ejus in pauperem respiciunt: palpebrae ejus interrogant filios hominum.

6. Dominus interrogat justum et impium: qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam.

7. Pluet super peccatores laqueos: ignis, et sulphur, et spiritus procellarum, pars calicis eorum.

8. Quoniam justus Dominus et justitias dilexit: aequitatem vidit vultus ejus.

Argumentum. — Amici, ut fuga sibi cernat, valem hortantur, utpote cujus cum salute communis omnium proborum salus conjuncta sit, vers. 1-3; ille nihil timendum esse respondet; sperare se, fore ut Jova, qui cogitata hominum penitus perspicit, improborum consilia evertat, vers. 4-7. Hinc sirophus 2. Adversus terrores eorum, qui solliciti de Davide, in periculis a Saule, fugam ei suaderent, factum esse Psalmum censet Ewaldus; Maurer vero sum scriptum putat inter initia conjugationis Absalonice. Juxta Hengstenberg, David justos in genere suo **exemplo** docet, ne in rebus difficillimis desperent.

1. Praecentori, Davidis *carmen*.

2. In Jova fiduciam pono; quomodo dicitis animae meae (mih): « Fugite in montem vestrum, aves!

2. Nam ecce improbi tendunt arcum;

V. s. h. — *Victori, David.*

In Domino speravi; quomodo dicitis animae meae: Transvola in montem sicut passer?

Quia ecce impii tetenderunt arcum: posuerunt sagittam suam super nervum, ut sagittent in abscondito rectos corde.

Quia leges dissipatae sunt: justus quid operatus est?

Dominus in templo sancto suo, Dominus in caelo thronus ejus:

oculi ejus vident, palpebrae ejus probant filios hominum.

Dominus justum probat; impium autem et diligentem iniquitatem odit anima ejus.

Pluet [Al. *pluit*] super peccatores [Al. *impios*] laqueos: ignis, et sulphur, et spiritus tempestatum, pars calicis eorum.

Quoniam justus Dominus justitias dilexit: rectum videbunt [Al. *viderunt*] facies eorum.

aptant sagittam suam ad nervum, ad jaciendum eam in caligine in rectos corda.

3. Quando fundamenta collapsa sunt, justus quid faciat?

4. Jova est in palatio suo sancto,

Jova — in caelis est ejus sedes.

Oculi ejus spectant, palpebrae ejus explorant filios hominis.

5. Jova justum explorat; at improbum, et injuriae amantem odit anima ejus.

6. Pluat super improbos laqueos igneos et sulphur; et ventus ardens sit portio calicis eorum.

7. Nam justus est Jova justitias diligens; rectum spectat facies ejus.

NOTE.

Vers. 1. *Fugite*, etc. Locutio proverbialis, ab aviculis desumpta, quae ad montes arbutis consitos periculo imminente configiunt. Alii cum Alexandrinis, *fyge* (keri) *in montem sicut* (legerunt ודר כנור) *passer*. Alii ante aves subaudiunt *ut*, aut *aves* appositione cohaeret cum pronomine quod latet in *fugite*, scil. David cum suis assedis. — **Vers. 2.** *Tendunt*, proprie *calcant*, ut supra animadvertimus. — **Vers. 3.** *Fundamenta* justitiae. Aliis est locutio proverb. ab aedificiis sumpta, quae dirutis fundamentis tota concidere necesse est. — **Vers. 4.** *Palatio*, caelo. — **Vers. 5.** *Explorat*, ideoque amat et protegit. — **Vers. 6.** *Pluat*; alii, *pluet vel pluit*. *Laqueos*. Jova comparatur bellatori, qui laqueum in hostem injicit; laquei autem Jovae sunt fulmina, hinc dicti *ignei et sulphurei*; *παρρηγ* de fulmine usurpat Homerus, *Iliad.* XIV, 812. *Ardens*, proprie *ardorium*, pestilens Eurus, juxta plerosque, Orientalibus notissimus, qui julio et augusto mensibus nonnunquam per octavam horae partem spirans, obvia quaevis necat. *Somnum* illum vocant Arabes, finguntque eorum poete, venenatum hunc ventum impios in suppliciorum aeternorum loco pro aura vitali hausturos. Cf. Mislin, *Les Saints-Lieux*, edit. 2, tom. III, p. 84 et 291. *Calicis*, metaphora a more veteri mutata, quo paterfamilias domesticis suis suam *causae* potus portionem in calicem infundere solebat. Alii: Veteres vitam calici epotando comparabant. — **Vers. 7.** *Spectat*, et tuetur. Ewaldus, *probus* quisque *faciem ejus* (Jovae) *aspiciet*.

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS X.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

In finem, Psalmus David.

De titulo dictum est in precedentibus. Argumentum hujus Psalmi est hortatio ad confidentiam tempore calumniarum, aliarumque persecutionum. Loquitur David in persona cujuslibet justi, providens quodammodo illud Apostoli: « Omnes qui pie vivere volunt, persecutiones patientur, » II *Timoth.* III.

EXPLICATIO PSALMI.

1. IN DOMINO CONFIDO, QUOMODO DICITIS ANIMAE MEAE: TRANSMIGA IN MONTEM, SICUT PASSER?

Vox justi, qui pulsatur tentatione desperationis, ut vocationem suam deserat ob multitudinem calumniatorum: « In Domino, inquit, confido, » qui ubique est, et omnipotens est; « quomodo di-

citis animae meae, » id est, cur mihi persuadere conamini. Jam enim supra diximus phrasim esse hebraicam, *anima mea*, pro *michi*. Alloquitur autem vel demones tentantes, vel ipsas internas suggestiones, hoc est, cogitationes a diabolo immisas. « Transmiga in montem sicut passer, » id est, desere vocationem, et hominum consor-

tum, et abi ad locum, ubi nulla sint pericula, nulle tentationes. Passeres enim, cum timent aucupes, volant ad caecum montium, ad quae aucupes ascendere non possunt. Tales montes respectu tentationum nulli sunt, nisi in imaginatione hominum, qui cum tentantur graviter, imaginantur mutatione locorum posse molestiam illam declinari; et qui desperant, ipsam etiam violentam mortem eligunt, ad quam fugiunt, tanquam ad montem. Justus autem constans est, et locum suum non deserit, sciens ubique tentationes diaboli, et ubique adjutorium Dei esse. In hebraeo habetur: *Trans-aigra in montem vestrum, passer; sed vocem chem, quae significat vestrum, Septuaginta legerunt cha, quod est sicut; et haec sine dubio est lectio verior et clarior.* Nam etiam S. Hieronymus sic vertit. Itaque post tempora S. Hieronymi videtur hic locus corruptus in hebraeo, librorum vitio.

2. QUONIAM ECCE PECCATORES INTENDERUNT AR-
CUM, PARAVERTUNT SAGITTAS SUAS IN PHARETRA,
ET SAGITTENT IN OBSCURO RECTOS CORDE.

Hec est ratio, cur sit fugiendi in ad montem, id est deserenda vocatio praenimio timore, quem tentatio suggerit, videlicet, quia mali homines assidue persequuntur justos sive calumnias, sive alia ratione. Comparat autem calumnias, sive alias persecutiones, sagittis quae jaciuntur in obscuro, ut significet eas calumnias, vel persecutiones non solum graviter ferire, sed etiam vix posse evadere. In hebraeo habetur: *Paraverunt sagittas suas in nervo; et secundum hanc lectionem, idem est, intenderunt arcum, et paraverunt sagittas in nervo.* At Septuaginta verterunt: *Paraverunt sagittas in pharetra*, ut significarent, non solum peccatores intendisse arcum, ut semel jacerent sagittam, sed etiam implese pharetram sagittis, ut saepius jaculari possent. Quamvis autem vox hebraea *ithor* nervum et chordam significet, et in dictionariis non invenitur locus, ubi ponatur pro pharetra, tamen auctoritas Septuaginta interpretum satis est, ut credamus etiam pro pharetra accipi posse. Quod latinus codex habet, *in obscuro*, et hebraeus *בְּחֹשֶׁךְ* *ophel*, *in caligine*, in graeco est *in obscura luna*; sed in re nulla est discrepantia. Nam obscura luna significat noctem carentem lunae splendore, sive sit nebulis tecta luna, sive sit cum sole conjuncta, aut soli vicina. Possent hi duo versiculi etiam hunc sensum habere: « In Domino confido, quomodo dicitis anime meae, transigra in montem sicut passer, quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde. » Id est, non licet jam esse recto corde, quoniam undique tenduntur insidiae rectis corde: ideo vel oportet in montem inaccessum extra homines recedere, quod fieri non potest; vel cedendum est consuetudini, et deserenda via justitiae. Sed huic tentationi re-

spondet justus: « In Domino confido, » et ideo nec in montem inhabitabilem abibo, nec deseram viam justitiae.

3. QUONIAM QUAE PERFECISTI, DESTRUXERUNT: JUSTUS AUTEM QUOD FECIT?

Confirmat Propheta per apostrophen ad Deum, verum esse, quod peccatores injuste persequuntur justos. Quasi dicat: Verum est quod audivi de impietate peccatorum. Nam peccatores « destruxerunt ea quae tu perfecisti, » id est leges tuas perfectissimas, nec non consilia, et ordinationes omnes tuas, quas posuisti in populo tuo, dum non solum non reddunt bona pro malis, ut tu jubes, sed reddunt mala pro bonis, sine ulla causa calumniando et persequendo justos. « Justus enim quid fecit? » hoc est, justus non dedit illis ullam occasionem, sed ipsi oderunt justos gratis. Vox hebraea, quam Septuaginta verterunt *perfecisti*, valde obscura est. S. Hieronymus vertit *leges*, alii *fundamenta*, alii *retia*. Mihi verisimile videtur Septuaginta interpretes non legisse, ut nunc habemus in hebraeo, *הַשְׂתַּחֲוֹת*, quod habet formam nominis pluralis, sed legisse *hashtathotha*, quod significat *posuisti*, a verbo *שָׂתַח* in conjugatione *hiphit*; sunt enim eadem omnino litterae, et solum additur punctum unum sub ultima littera. Nam lege id observamus in Psalmis, ut Septuaginta legerint paulo aliter, quam legerint ii qui puncta addiderunt.

4. DOMINUS IN TEMPO SANCTO SUO, DOMINUS
CŒLO SEDES EJUS.

Incipit rationem reddere, cur in Domino confidere se dixerit, et non timeat insidias hominum iniquorum: quia videlicet Dominus omnium in caelo sedeat iudex, unde omnia videat, et omnes subjectos habeat: « Dominus, inquit, in templo sancto suo, » subintellige, *sedet*. Vocat autem templum sanctum Dei, summum caelum, quod est templum non manufactum. Idem significat clarioribus verbis, cum ait: « Dominus in caelo sedes ejus, » hoc est Dominus in caelo sedem, sive thronum habet. Est autem phrasim hebraica: « Dominus in caelo sedes ejus, » pro: sedes Domini est in caelo, vel: Dominus in caelo sedem habet.

5. OCULI EJUS IN PAUPEREM RESPICIUNT, PAL-
TEBRE EJUS INTERROGANT FILIOS HOMINUM.

Ex throno illo altissimo, cui nihil abscondi potest, respicit Deus pauperes; proinde nihil mali accidere potest hominibus Deo non sciente, aut non permittente, quae est maxima consolatio justorum. Quod sequitur declarat magis providentiam Dei. Non solum enim Deus videt homines, sed videndo discernit, ac dijudicat bonos et malos, et omnia eorum opera. In hebraeo non habetur *in pauperem*, sed simpliciter, *oculi ejus*

respiciunt; sed Septuaginta addiderunt *in pauperem*, explicandi gratia. Praeterea, pro *interrogant*, habetur in hebraeo *probant*, sed eadem sententia est. Metaphorice enim dicitur Deus interrogare, sive probare, id est tentare, sive examinare, quando perfecte discernit ac dijudicat, quod homines non possunt sepe numero facere, nisi interrogando et examinando. Illud, *palpebra ejus perfecta discernit*, quoniam enim Psalmi poetice scripti sunt, ideo figuris multis scaturit. Itaque palpebrae ponuntur pro oculis, et oculi pro mente; et interrogare, pro exacte cognoscere, ac si exactissime prius interrogasset et examinaisset.

6. DOMINUS INTERROGAT JUSTUM ET IMPIUM: QUI
AUTEM DILIGIT INIQUITATEM, ODIT ANIMAM SUAM.

Non solum Deus exacte cognoscit justum et impium, sed etiam pro meritis eos remunerat, vel punit. Et ideo « qui diligit iniquitatem, odit animam suam, » id est se ipsum, quoniam propter iniquitatem gravissime punitur. Ex hebraeo potest etiam reddi, *diligentem iniquitatem odit anima ejus*, id est, Deus odit eos, qui amant iniquitatem, et sic vertit S. Hieronymus. Uterque sensus est verus, et utrumque patiuntur verba hebraica. Mira sententia est et elegantissima: « Qui diligit iniquitatem, odit animam suam. » Nam qui diligit iniquitatem, videtur diligere animam suam, id est se ipsum, quia, ut sibi ipsi satisfaciat, peccat, et tamen revera odit animam suam, ac perdit. Hoc est quod Dominus Joan. xii, 25, ait: « Qui amat animam suam, perdet eam, » id est, qui male se amat, vere se odit.

7. PLUET SUPER PECCATORES LAQUEOS: IGNIS,
ET SULPHUR, ET SPIRITUS PROCELLARUM PARS CA-
LICIS EORUM.

Hec est ratio, cur iniqui oderint animas suas, quia Dominus pluit, sive, ut in hebraeo expressius legitur, *pluere faciet super peccatores laqueos*, id est, in hac vita immittit laqueos in maxima copia, quasi guttas pluviae in peccatores, id est, sine eos quotidie involvi pluribus et majoribus peccatis percutiendo eos caecitate, et tradendo eos in reprobum sensum, quae est poena horrenda et gravissima; deinde in alia vita, « ignis, et sulphur, et spiritus procellarum, » id est venti frigidissimi et vehementissimi in gehenna erunt pars calicis, id est portio et hereditas ipsorum. Observandum est hoc loco, nomine cali-

cis intelligi hereditatem, ut etiam alibi saepe in Scriptura, ut eo loco: « Dominus pars hereditatis meae, et calicis mei, » ubi idem intelligitur dictum duobus vocabulis, et ideo addit: « Tu es qui restitues hereditatem meam mihi. » Dicitur autem hereditas calix, quia sicut calix in mensa, solum in cena paschali, dividebatur inter convivas; unde est illud Luc. xiii, 47: « Accipite, et dividite inter vos: » Ita hereditas dividitur inter filios ejusdem patris. Eadem quoque hereditas interdum vocatur *pars*, vel *portio*, ut: *Pars mea Dominus*; et alibi: *Portio mea Dominus*; interdum, *Pars hereditatis*, ut loco citato, *Dominus pars hereditatis mea*: ubi non significatur Dominum esse partem hereditatis, ita ut aliunde sit querenda alia pars, sed significatur Dominum esse partem, quae sibi contigit ex hereditatis divisione, ita ut idem sit hereditas, et pars hereditatis: sic etiam idem est calix, et pars calicis, id est portio illa, quae uni debetur ex divisione calicis. Pulchre autem filii diaboli, quibus Dominus ait Joan. viii, 44: « Vos ex patre diabolo estis, » tribuitur hereditas quam diabolus possidet, id est poena horribilis significata per ignem, et sulphur, et spiritum procellarum.

8. QUONIAM JUSTUS DOMINUS, ET JUSTITIAS DILEXIT, AEGUITATEM VIDIT VULTUS EJUS.

Hec vera ratio est, cur Deus tam atrociter impios puniat, quia justus est ipse in se: « Deus enim lux est, et tenebrae in eo non sunt ullae, » I Joan. i, 5: « et diligit justitias, » id est opera justa in omnibus aliis, quos ad suam imaginem creavit. Id ipsum repetit, dicens: « Aequitatem vidit vultus ejus. » Nam per aequitatem hoc loco intelligitur rectitudo, ut sonant vocabula, hebraicum *צֶדֶק*, et graecum *εὐνομία*; rectitudo autem est quasi declaratio justitiae. Non enim hic agitur de justitia, quae est una ex quatuor virtutibus cardinalibus, quae est justitia particularis ponens medium in commerciis hominum; sed de justitia universalis, quae complectitur omnes virtutes, et est quaedam rectitudo totius hominis, cujus quasi compendium est charitas Dei et proximi; nam « finis praecipit charitas, » I Timoth. i, 5; et: « Qui diligit, legem implevit, » Rom. xiii, 8. Illud autem, *vidit vultus ejus*, non significat simplicem visionem, sed visionem approbationis, juxta illud Psalmi primi: « Novit Dominus viam justorum. » Idem igitur est, justitiam dilexit, et aequitatem vidit, id est rectitudinem approbavit « vultus ejus, » id est oculus ejus.

PSALMUS XII (SECUNDUM HEBRAEOS.)

V. v. — 1. In finem pro octava, Psalmus
David.

V. s. h. — Victori pro octava, canticum (A.
Psalmus) David.

2. Salvy me fac, Domine, quoniam defecit

Salva, Domine, quoniam defecit sanctus

sanctus : quoniam diminutæ sunt veritates a filiis hominum.

3. Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum : labia dolosa in corde et corde locuti sunt.

4. Disperdat Dominus universa labia dolosa, et linguam magniloquam.

5. Qui dixerunt : Linguam nostram magnificabimus, labia nostra a nobis sunt; quis noster Dominus est?

6. Propter miseriam inopum, et gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus.

Ponam in salutari : fidecialiter agam in eo.

7. Eloquia Domini, eloquia casta : argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum.

8. Tu, Domine, servabis nos, et custodies nos a generatione hac in æternum.

9. In circuitu impii ambulat : secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum.

Argumentum. — Strophae 3. Vers. 2-5, David Deum precatur, ut suis adsit, cum in dies magis invalescat hominum improbitas. Vers. 6-7, auxilium promittit Jova, cui fides habenda sit. Vers. 8-9, Vates suam fiduciam exprimit.

1. Præcentori, ad modum scheminith (conf. *Ps.* vi, 4), carmen Davidis.
2. Salva, Jova, nam desinit pius, nam evanescit fidelis a filiis hominum.
3. Falsa loquuntur unus cum altero; labiis blandis, corde et corde, loquuntur.
4. Exscindat Jova omnia labia blanda, linguam eloquentem magnaia.
5. Qui dicunt : « Linguam nostram potentem faciemus; labia nostra nobiscum sunt : quis dominus erit nobis? »
6. « Propter oppressionem afflictorum, propter gemitum pauperum, nunc surgam, dicit Jova; ponam in salute eum qui inhiat illi (saluti). »
7. Verba Jovæ sunt verba pura (sincera), argentum liquatam in catino in terra *incluso*, purgatum septuplum.
8. Tu, Jova, servabis eos; custodies eum a generatione hac in æternum.
9. Circumquaque impii ambulabunt; *sed* secundum altitudinem eorum sit (vel *erit*) opprobrium num (illis).

[*h. misericors*] : quoniam imminuti sunt fideles a filiis hominum.

Frustra loquuntur [*Al. loqueretur*] unusquisque proximo suo, labium dolosum in corde, et corde locuti sunt.

Disperdat Dominus omnia labia dolosa, linguam magniloquam.

Qui dixerunt : Linguam nostram robaremus, labia nostra nobiscum sunt : quis Dominus [*h. donator*] noster?

Propter vastitatem inopum et gemitum pauperum, nunc consurgam, dicit Dominus : ponam in salutari auxilium eorum.

Eloquia Domini, eloquia munda : argentum probatum, separatum a terra, colatum septuplum.

Tu, Domine, custodies ea, servabis nos a generatione hac in æternum.

In circuitu impii ambulabunt [*Al. ambulat*], cum exaltati fuerint vilissimi filiorum hominum.

NOTÆ.

Vers. 2. *Fidelis*, propr. *fidelitates*. — Vers. 3. *Labiis*; alii, *labia*, blanda, litt. *blanda tiorum*. *Corde et corde*, i. e. corde duplici. — Vers. 4. *Magnaia*, superba. — Vers. 5. *Linguam*, etc.; alii, *lingua nostra valebitus*. — Vers. 6. *Propter*; Ewaldus, *ex vel de oppressione*, etc. *Inhiat*; alii, *eum cui flat impius*, i. e. miserum, quem improbus uno quasi flatu deiecit gloriatur; vel : *eripiam ab eo qui flat in eum*. Alexandr. legit ארופי. — Vers. 7. *Catino*, gall. *creuset*; alii, *officina*, gall. *laboratoire*. *In terra incluso*; alii, « terra, quoad terrenas paries purgandum. Ewaldus, *purgatum in ardore e terrenis partibus*. Hengstenberg, *argentum depuratum domini terræ* (לְעֵלֵי id. ac בְּעֵלֵי) : ita et Vatablus, qui ait : « Verbum Jovæ est instar argenti purissimi, quod exacte summaque arte et cura omni fece purgatum est, non in usum vulgarem, sed principis terræ. » *Septuplum*, multoties. — Vers. 8. *Eos*, inopes. *Eum*, quemque eorum. *A generatione hac*. Alii, *ab hoc sæculo* in æternum, ut temporis duratio tantummodo significetur. Melius alii, *ab hujus sæculi pervertis hominibus*. — Vers. 9. *Sed secundum*, etc. Crelier : *Sed sicut altitudo est abjectio filiorum*, etc. Brevi enim Deus justos afflictos liberabit, et gloria donabit. Gesenius : *Quando impii efferuntur, abjectio, vel terror est filiis hominum, pauperibus*. Ewaldus, ... *ambulant prout crescit vel exurgit pervertitas* (morum corruptio) *inter homines*.

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS XI.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

In finem pro octava, Psalmus David.

De hoc titulo dictum est in *Psalm.* vi. Argumentum hujus Psalmi est, fidendam in Deo, et non in hominibus, quod verba hominum plerumque sint fallacia, Dei autem semper verissima et fidelissima.

EXPLICATIO PSALMI.

1. SALVUM ME FAC, DOMINE, QUONIAM DEFECIT SANCTUS : QUONIAM DIMINUTÆ SUNT VERITATES A FILIIS HOMINUM.

Tu, Domine, a periculis omnibus salva me, quoniam non est alius in quo fidere possim : nam defecit sanctus, id est, vix invenitur in mundo aliquis vere pius, et *miseriors* (id enim proprie sonat vox hebraica מִסְרִים); nec solum defecit *miseriors*, sed etiam verax : diminutæ sunt enim veritates a filiis hominum, id est, vix invenitur, qui verum simpliciter dicat. Itaque perit fere de terra misericordia et veritas. In hebreo habetur מְנוּחָם *emunctam*, quod S. Hieronymus vertit *fidelis*, ut hæc sit sententia : imminuti sunt fideles a filiis hominum; sed eadem vox significat etiam veritatem, seu veritates, et sensus est idem.

2. VANA LOCUTI SUNT UNUSQUISQUE AD PROXIMUM SUUM : LABIA DOLOSA IN CORDE ET CORDE LOCUTI SUNT.

Probat defecisse sanctum, id est misericordem, quoniam homines, ut plurimum, non loquuntur proximis utilia et bona, sed vana, que a periculis erueri non possunt; unde etiam frustra loquuntur, quomodo vertit S. Hieronymus. Probat quoque defecisse veritatem, quoniam *labia do-*

losa, id est homines, qui labia dolosa dici possunt, *in corde et corde*, id est duplici corde, locuti sunt, unum volentes loqui, et aliud volentes facere, et sic decipere. In hebreo ad verbum est, *labium divisionum*, id est labium divisum, unum sonans, aliud significans, labium autem divisum, seu duplex, ex corde diviso, seu duplici oritur. Quia vero que leniuntur, dividuntur, ideo eadem vox significat in Scripturis, *labium blanditiarum, et adulationum*; et quia omnis adulationis decipit, ideo recte verterunt tam Septuaginta, quam S. Hieronymus, *labia dolosa, sive subdola*. In græco additur *mala, in corde et corde locuti sunt mala*; sed ea vox neque in hebreo, neque in latinis emendatioribus habetur.

3. DISPERDAT DOMINUS UNIVERSA LABIA DOLOSA, ET LINGUAM MAGNILOQUAM.

Imprecatio prophetica est : per modum enim imprecationis prædicit fore, ut omnes, qui decipiunt, decipiantur, et dum putant se multum lucrari suis fraudibus, perdant omnia, et ipsi etiam pereant in æternum. Illud, *et linguam magniloquam*, significat linguam se jactantem ob suos dolos et fraudes, ut patet ex versiculo sequenti. In hebreo et græco non habetur conjunctio *et*; ex quo intelligimus, hic non reprehendi duo ge-

vera hominum, dolosos et superbos, sed dolosos tantum, qui tamen confidunt in suis dolis, et ideo magni faciunt sua labia dolosa, et de illis magnifice loquuntur. Proinde editio Latina, quae habet conjunctionem, ad eundem sensum reducenda est, et commode reducitur, ut nos explicuimus.

4. QUI DIXERUNT: LINGUAM NOSTRAM MAGNIFICABIMUS, LABIA NOSTRA A NOBIS SUNT, QUIS NOSTER DOMINUS EST?

Explicat cur conjunxerit linguam magniloquam cum labiis dolosis, quia videlicet dolosi confidunt maxime in sua lingua, ita ut nulla re alia indigere se credant, nec ulli domino subjecti esse debeant. « Qui dixerunt, » inquit, videlicet apud se animo suo, « linguam nostram magnificabimus, » id est, linguam nostram magnificemus, illi tribuentes omnia nostra bona, quae per illam locramur. Ex hebraeo aliqui vertunt, *linguam nostram roborabimus*; verbum enim גָּבַר *gabar* significat gravem et robustum esse, sed accipitur etiam pro quacumque magnitudine, et ideo נִבְּרָר *nagbir*, quod habetur hoc loco, recte vertitur *magnificabimus*; nam etiam apud Latinos vitae gravis non solum refertur ad pondus molis, sed etiam ad magnitudinem virtutis. « Labia nostra a nobis sunt » ambiguum est in latino, sed ex hebraeo et graeco constat sensum esse: labia nostra nobiscum sunt, pro nobis faciunt, a parte nostra pugnant. Itaque pergit Propheta explicare confidentiam, quam habent dolosi in suis labiis, inquam in instrumento optimo ad praevalendum aliis hominibus. Ideo subiungit eos dicere: « Quis noster Dominus est? » quasi dicat: Non agnosceamus illum superiorem, cum per instrumentum lingue omnes alios subjiciamus.

5. PROPTER MISERIAM INOPUM, ET GEMITUM PAUPERUM NUNC EXURGAM, DIXIT DOMINUS.

Docuit Propheta non esse confidendum in hominibus: nunc docet esse confidendum in Deo, cuius promissa fidelissima sunt; docet autem hoc poetice introducendo ipsum Deum loquentem, et promittentem auxilium suum humilibus et afflictis. « Propter miseriam, inquit, inopum, » qui dolosis decipiuntur atque affliguntur, unde et genere necesse habent; non differam auxilium, sed « nunc exurgam » quasi a somno, eisque viro.

6. PONAM IN SALUTARI, FIDUCIALITER AGAM IN.

Explicat quid sit facturus, cum surrexerit: « Ponam, inquit, in salutari, » id est, collocabo eos in salute, stabiliam eos in salute, ut semper salvi constant. « Fiducialiter agam in eo, » id est, nemo me impedit, audacter et libere agam in hac re. Exprimunt vox graeca παρρησιαστικως hoc loco confidentiam et libertatem, atque audaciam. Ex hebraeo S. Hieronymus vertit: *Ponam in salutari auxilium eorum*. Sed nescio quid in hac re seculus sit; nam vox hebraea פִּיחָה לֵךְ *ipichah lo* significare potest, *suffabit in eum*, vel *illaqueabit eum*, vel *aspirabit ei*. Ceterum interpretes videntur legisse in prima persona פִּיחָה אֶפְיָחֵךְ *aphich lo*, *afflato in eo*, sive *aspirabo ei*, id est, unicusque pauperum aspirabo et favebo, et quia « spiritus ubi vult spirat, et ubi spiritus Domini, ibi libertas, » ideo fortasse viderunt, « fiducialiter agam, » id est libere aspirabo et favebo.

7. ELOQUIA DOMINI, ELOQUIA CASTA, ARGENTUM IGNE EXAMINATUM, PROBATUM TERRE, PURGATUM SEPTUPLUM.

Docet jam Propheta promissionem Domini explicatam versibus duobus superioribus, non esse similem promissionibus hominum dolosorum, sed esse verissimam et fidelissimam. « Eloquia Domini, inquit, casta, » id est munda et pura, ut sonat vox hebraica, non ficta, non simulata, sincera, fidelia. « Argentum igne examinatum, » id est, sunt eloquia, sive promissa Dei veluti argentum verissimum in sono, pondere et candore, quale est argentum in igne probatum, nec solum probatum in igne, sed etiam « probatum terre, » id est populis terre, approbatum videlicet ab hominibus peritis metallorum; denique « purgatum septuplum, » id est non semel, sed septies per fusionem (ut exprimit vox hebraea) purgatum a scoria. In hebraeo illud, *purgatum terre*, est valde obscure; S. Hieronymus vertit, *separatum a terra*; alii, *a Domino terra*, nimirum *purgatum septuplum*; alii, *in vase sive in camino*; sed cum vox כְּקֵלִיךְ non habeatur nisi hoc loco, nulla est ratio, cur non debeamus acquiescere interpretationi Septuaginta interpretum, quibus lingua hebraica notissima erat. Quidquid enim alii dicant, divinationo potius erit, quam interpretatio.

8. TU, DOMINE, SERVABIS NOS, ET CUSTODIES NOS A GENERATIONE HAC IN AETERNUM.

Colligit ex dictis, Deum facturum quod promissit: Tu, inquit, juxta promissa tua, « servabis nos, » id est custodies nos; non enim hic est verbum salvandi, vel salutis, neque in graeco, neque in hebraeo; sed simpliciter conservandi et custodiendi. In hebraeo habetur תְּשָׁרְבֵנֵם *servabis ea*, nimirum eloquia tua, et custodies nos; sed Septuaginta legerunt תְּשָׁרְבֵנֵם *thismeremus*, *servabis nos*, et facilissima fuit mutatio, quia maxima est similitudo inter שָׁרְבֵנֵם, quod significat ea, et שָׁרְבֵנֵם, quod significat nos; sed uterque sensus est optimus.

9. IN CIRCVITU IMPII AMBULANT: SECUNDUM ALTITUDINEM TUAM MULTIPLICASTI FILIOS HOMINUM.

Quasi quaereret aliquis: Quid de impiis fiet, dum tu servabis nos? Respondet, impiis interea, dum nos quieti sumus sub alis tuis in circuitu

ambulant, semper ambientes bona hujus mundi, et nunquam ad finem desideriorum suorum pervenientes; semper autem erunt impij ambientes, dum hic mundus durat; quia « secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum, » et « stultorum infinitus est numerus, » *Eccle. i. Videntur in fine hujus Psalmi omnes editiones inter se dissidere. Hebraea ad verbum habet: In circuitu impij ambulabunt, dum exaltantur vilitates filiorum hominum, id est, dum exaltantur et regnant homines vilissimi, tunc impij ubique discurrent. Graeca vero sic habet: In circuitu impij ambulat, secundum altitudinem tuam sollicitudinem gessisti de filiis hominum. Sed graeca et latina facile concordantur; nam Deus secundum altitudinem suam maximam sollicitudinem gessit de specie humana, et ideo ne ea periret, praeter omnibus aliis*

PSALMUS XIII

SECUNDUM HEBRAEOS.

V. v. — 1. In finem, Psalmus David.

Usquequo, Domine, oblivisceris me in finem? Usquequo avertis faciem tuam a me?

2. Quamdiu ponam consilia in anima mea, dolorem in corde meo per diem?

3. Usquequo exaltabitur inimicus meus super me?

4. Respice, et exaudi me, Domine Deus meus. Illumina oculos meos ne unquam obdormiam in morte: 5. ne quando dicat inimicus meus: Pravalui adversus eum. Qui tribulant me, exultabunt si motus fiero.

6. Ego autem in misericordia tua speravi.

Exultabit cor meum in salutari tuo; cantabo Domino qui bona tribuit mihi, et psallam nomini Domini altissimi.

Argumentum. — Magnis aerumnis conflictans vates Jovam omnem sui curam abjecisse queritur, vers. 2-3; orat, ut ille sibi auxilium ferat, vers. 4-5; id eum facturum esse confidit, vers. 6. Hinc strophe traet.

1. Praeentori, carmen Davidis.

2. Quousque, Jova, oblivisceris mei in perpetuum? Quousque abscondes faciam tuam a me?

3. Quousque ponam consilia in anima mea, mœrorem in corde meo toto die?

4. Respice, exaudi me, Jova, mi Deus; collustra oculos meos, ne dormiam mortem;

V. s. n. — Victori Canticum [h. Psalmus] David.

Usquequo, Domine, oblivisceris me [Al. mei] penitus: usquequo abscondes faciem tuam a me?

Usquequo ponam consilia in anima mea, dolorem in corde meo per diem:

usquequo exaltabitur inimicus meus super me?

Convertere [h. Aspice], exaudi me, Domine Deus meus: illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte.

Ne quando dicat inimicus meus: Pravalui adversus eum: hostes mei exultabunt, cum motus fuero.

Ego autem in misericordia tua confido, exultabit cor meum in salutari tuo: cantabo Domino, qui reddidit mihi.

5. Ne dicat hostis meus: « Prævalui ei! »
Neque adversarii mei exsultent, ubi motus fuero.
6. Et ego in tua gratia (benignitate) fiduciam pono:
exsufflet cor meum in salute tua.
Cantabo Jovæ, quod benefecerit mihi.

NOTE.

Vers. 2. Abscondes, nullo me dignaberis aspectu. — Vers. 3. Consilia, quibus periculum evadam. Sensus est: Quousque anxius ero. — Vers. 4. Oculos, tot miseris ac calamitatibus, quasi tenebris, obsecas. Mortem, vel somnium mortis. — Vers. 5. Exsultent, gloriantur me cadente. — Vers. 6. Quod, quia; alii, quando.

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS XII.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

In finem, Psalmus David.

De hoc titulo nihil occurrit dicendum. Argumentum Psalmi est oratio ad Deum tempore tentationis.

EXPLICATIO PSALMI.

1. USQUEQUE, DOMINE, OBLIVISCERIS ME IN FINEM? USQUEQUE AVERTIS FACIEM TUAM A ME?

Qui tentatur, duo mala pati solet, prava desideria in voluntate, et tenebras in intellectu. Quando prava desideria valde urgent, tunc videtur Deus oblivisci, et deserere animam; quando tenebre obscurant intellectum, videtur Deus avertere faciem suam ab anima. Ipse enim lux est, et ideo illuminat, cum convertit faciem; in tenebris relinquit, cum avertit. Propter primum dicit homo in tentatione positus: « Usquequo, Domine, oblivisceris me in finem? » Propter secundum dicit: « Usquequo avertis faciem tuam a me? »

2. QUAMDIU PONAM CONSILIA IN ANIMA MEA? DOLOREM IN CORDE MEO PER DIEM?

Inverso jam ordine queritur primo de tenebris, quas patitur; secundo, de pravis desideriis, quæ invitus tolerat: « Quamdiu, » inquit, propter obscurationem intellectus, « ponam consilia in anima mea? » id est, varia consilia excogitabo, ut a malo presenti liberari possim? Quamdiu rursus propter desideria infestantia cor meum, « ponam dolorem in corde meo? » id est, assumam dolorem, ac tristis ero, ne forte Deum meum offendam; atque id faciam per diem, id est tota die sine intermissione ulla. In græco additur, *et per noctem*. Sed hoc non habetur in he-

breo, neque legitur a S. Augustino, proinde recte omissum est in editione latina.

3. USQUEQUO EXALTABITUR INIMICUS MEUS SUPER ME? RESPICE ET EXAUDI ME, DOMINE DEUS MEUS.

Prima pars hujus versiculi complectitur utrumque malum; tunc enim exaltatur inimicus super hominem, quando opprimit eum, tum ingerendo prava desideria, quæ homo non potest excutere; tum tenebras offundendo, quas non potest dissipare. Ideo quasi vim patiens clamat ad Deum: « Usquequo exaltabitur inimicus meus super me? » Deinde invocatur auxilium contra utrumque malum: « Respice, » inquit, id est, converte faciem tuam, « et exaudi me, » id est, ne obliviscaris, ne deseras, adjuva exoratus.

4. ILLUMINA OCVLOS MEOS, NE UNQUAM OBDORMIAM IN MORTE, NE QUANDO DICAT INIMICUS MEUS: PRÆVALUI ADVERSUS EUM.

Iterum clarior eandem orationem repetit: « Illumina, » pelle tenebras mentis convertendo ad me faciem, meque respiciendo; « ne unquam obdormiam in morte, » id est, ne consentiens desideriis in mortem anime incidam. Vocat Scriptura passim somnum ipsam mortem, sive corporalem, sive spiritualem: quia Deo tam facile est mortuum ad vitam revocare, quam nobis facile est dormientem a somno excitare. Præterea, il-

lud, ne unquam obdormiam, significat hominem, cedendo tentationi, quasi obdormiscere, nec amplius sentire cruciatum ex tentatione; sed quia ista quies non est saluberrima, sed mortifera, ideo additur, *in morte*. Itaque cum duobus modis homo liberetur a molestia tentationis, vel per gratiam Dei fugato tentatore, vel per consensum in peccatum satiata libidine: petit liberari primo modo, ne forte cum suo maximo detrimento liberetur secundo modo, videlicet, obdormiendo per consensum in peccatum. Addit deinde rationem, quare cupiat liberari a tentatione, dicens: « Ne quando dicat inimicus meus: Prævalui adversus eum, » id est, sic gloriatur diabolus a se victum servum Dei, quod etiam in injuriam Dei cederet.

5. QUI TRIBULANT ME, EXULTABUNT, SI MOTUS FUERO, EGO AUTEM IN MISERICORDIA TUA SPERAVI.

Explicat rationem superiorem, quasi dicat: Non sine causa dixi: « Ne quando dicat inimicus, » etc., nam « exsultabunt, qui tribulant me, si motus fuero, » id est, non solum si plane cessero tantquam victus, sed etiam si paulisper nutare cæpero: sicut enim majus a gaudium est in cælo super nonaginta novem justis, qui non indigent precipientia, » Luc. xv; sic etiam magis demones exsultant, si virum aliquem perfectum ad inchoandum peccatum induxerint, quam si multos peccatores in peccatis maximis volutari fecerint. Exemplum est apud S. Gregorium, lib. IV *Dialog.* cap. vii. Atque hinc apparet Psalmum hunc scriptum esse pro liberatione justi a tentatione diabolica, non, ut aliqui volunt, pro liberatione Davidis a persecutione Saulis. David enim in illa persecutione quotidie loca mutabat. Itaque non dixisset: « Si motus fuero, exsultabunt inimici mei, » quasi pro magno haberet, non moveri. Quod sequitur: « Ego autem in misericordia tua speravi, » est altera ratio, cur deceat eum juvari a Deo, quia nimirum fretus misericordia Dei, et non viribus propriis, tentatori resistat.

PSALMUS XIV

SECUNDUM HEBRÆOS.

V. v. — 1. In finem, Psalmus David.

Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus. Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in studiis suis: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.

2. Dominus de cælo prospexit super filios hominum, ut videret si est intelligens, aut requirit Deum.

6. EXSULTABIT COR MEUM IN SALUTARI TUO, CANTABO DOMINO, QUI BONA TRIBUIT MIHI, ET PSALLAM NOMINI DOMINI ALTISSIMI.

Hæc est ultima ratio, qua Deum ad subveniendum flectere conatur, quia videlicet liberatus a tentatione, non erit ingratus liberatori, sed corde, ore, et opere beneficium celebrabit. Ad cor pertinent prima illa verba: « Exsultabit cor meum in salutari tuo, » id est, præ lætitia gestiet cor meum cum salutem obtinuerit, eam a te recognoscendo, teque ob eam laudando. Ad os pertinent sequentia: « Cantabo Domino, qui bona tribuit mihi. » In hebræo non habetur *bona*, sed solum verbum *tribuit*, vel potius *retribuit*. Sed Septuaginta declaraverunt illud *retribuit*, vertendo, *benefecit mihi*; et latinus Interpres adhuc clarior, « qui bona retribuit mihi; » sed sensus est idem: nam Deus fiducie retribuire solet protectionem; ideo David hebraica voce dicit, *retribuit mihi*, protectionem scilicet in se confidenti: et quia liberatio a tentatione est liberatio a verisus, et maximi mali periculo, ideo recte Græcus et Latinus addiderunt vocabulum *bona*, nimirum veri et maximi boni. Denique ad opera pertinent ultima verba, « et psallam nomini Domini altissimi; » nam psallere proprie est manu citharam pulsare. » David, inquit Scriptura, psallebat manu sua, » I *Reg.* xviii, 40; et alibi: « In psalterio deacchoro psallam tibi, » Psalm. cxlii, 9. Itaque promittit se corde exsultaturum, ore cantaturum, manu instrumentum musicum pulsaturum, ut totus homo serviat Dei laudibus. Psallere autem nomini Domini, est psallere in gloriam Domini, id est ad celebrandas ejus laudes. In hebræo non habentur hæc ultima verba, « et psallam nomini Domini altissimi; » sed fortasse diuturnitate temporis exciderunt. Certe cum superioribus optime coerent, et sunt in græcis codicibus, et citantur atque explicantur a Patribus, Hieronymo et Augustino, Theodoro et Euthymio. Mystice, psalleri nomini Domini, est opera consona cordi et verbi efficere. aut videntes homines opera nostra bona glorificent Patrem nostrum, qui in cælis est, » *Matth.* v, 46.

V. s. n. — Victori David.

Dixit stultus in corde suo: Non est Deus. Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt studiosi: non est qui faciat bonum.

Dominus de cælo prospexit super filios hominum, ut videret si est intelligens, requirit Deum.